CIMELIA
Kgl. Komp.
Qu 5463

Biblioteka Jagiellońska
stdr0014926
BVC
5463
CIMELIA

Cim. Qu. 5463

Bibl. Jag.

CHRONICON REGVM POLONIAE, VNA CVM ORIGINE gentis Regniq; Polonici, Prouinciarum, districtuum, familiarumq; præcipuarum, ciuitatum, arcium, nec non in his aliquorum euentuum ac gestorum, Rempub. tàm Ecclesiasticam, quàm politicam concernentium: à LECHO gentis Rege, vsq; ad SIGISMVNDVM III. Regem, hac tempestate, DEO volente & benedicente, regnantem, succinctè compendioseq; descriptum per

ERASMVM GLICZNERVM CHRISTI Domini seruum indignum.

SVIDAS Pag. 201.

Atramentum & calamus immortales faciunt.

THORVNII
EXCVDEBAT ANDREAS COTENIVS
Anno M. D. XCVII.

AD MAGNIFICVM DOMINVM IOHANNEM A ROZDRAZEVVO, IN KROTOSSYN, &c. HAEREDEM, REGNI POLONIAE SENATOREM

Inclytum προσφώνημα

SVMMVS honos illis, quorum sub nomine Regum
Longinquo in populo nomina celsa sonant
Et tibi laus HEROS, Henetos quòd in ordine Reges
Sub titulis cernent secula multa tuis.
Id tua maiorum virtus præstatq; tuorum,
Namq; colit DOMINOS stirps tua prisca suos.
Bina hinc GLICZNERO debentur præmia ERASMO,
Et quòd fert patriæ munera tanta suæ
Et te de reliquis tám aptè quòd perspicit vnum
Qui auspicijs gestes tám sacra dona tuis.
Gaude igitur, PATRIAEq; PATER consuesce vocari
Hunc q;, tuos & te qui colit, ornat, ama.

IN TRES ROSAS HEROIS EIVSDEM STEMMA.

TRINA ROSA A TRINO VIRTVTI NVMINE
DONVM EST:
[illegible] IOVIS ALTERA,
TIS.

Iohan. Rybinski.

Bibl. Jag.

prudentia & meritis Regni eminentissimus Illustris Dominus, Dominus HIERonymus, Comes à Rozdrazew, Episcopus Kuiauiensis & Pomeraniæ, frater Celsitudinis tuæ patruelis, vir honore & nomine maximè conspicuus. Alius quinimò DEI beneficio dabitur etiam locus, cùm arborem genealogiarum regum Poloniæ, Magnatum, Procerum, Nobilium, Ciuium, Ciuitatum præcipuarum erectam & consignatam, diuino mihi astipulante numine, cum digna & debita quorumuis laude, in lucem proferam. Deniq; non minùs auget mihi dedicandi animum, singularis liberalitas & beneficia hæc, quibus studia & labores literatorum hominum, qui optimè patriæ tam celebri, parenti omniũ nostrùm dulcissimæ, cupiunt, ex hac benedictione DOmini, qua diuinitùs tua Celsitudo locupletata est, largiter promouere consueuit. Nec dubito meum hunc laborem tuæ clementiæ gratum & acceptum fore, interea dum partes alias DEO opitulante paro. Oro autem præpotentem

potentem DEVM, Dominum cæli & terræ, vt Celsitudinem tuam, vnà cum illustri ac nobilissima coniuge CATHARINA, filia ex generosissima item familia PEtri de POtulice, Palatini Calissiensis, Senatoris spectatissimi, fratris in Domino defuncti, Stephani de Potulice Palatinidis Brzestensis, patroni quondam mei omni memoria dignissimi, nec non & cum Celsitudinis tuæ dilectissimis ac spei optimæ liberis, diu multumq; florentem & incolumem conseruare ac tueri dignetur, ad nominis sui gloriam, Regniq; huius decus & ornamentum, tuæq; Celsitudinis stirpis felicissimam, ad omnem memoriam, propagationem. Hæc faxit omnia ille, qui est Deus totius cõsolationis & pater misericordiæ. Datum Torunij Regia in vrbe. Anno Christi IEsu M. D. XCVI. Decemb. die. xviij.

Tuæ Clementiæ

addictiss.

ERASMVS GLICZNERVS

Christi Iesu seruus.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DNO. DNO. IOHANNI DE ROZDRAZEVVO, ROZDRAZEVVSKY, Castellano Poznanienſi, Senatori Regni Poloniæ integerrimo, Domino ac Patrono clementiſſimo.

MAGNA eſt illorum virorum laus & exiſtimatio, Illuſtris ac Magnifice Domine, qui monumentis literarum res alicuius gentis, ab hominum memoria præclarè geſtas, prodiderunt. Cum enim vita hominis ſapiens & iucunda eo conſtet maximè, vt experientiam rerum quis habeat, cognoſcatq́ quid factum in mundo, quidq́ ſequi debeat: vt inde & vitæ ſuæ modum optimum habeat, eiuſq́ bonis in alta pace perfruatur, declinetq́ ea quæ nocitura videantur. Ad quod omne aſſequendum, non poteſt non commendari ea inſtructio, quæ in hiſtoria rectè contexta continetur. Et huius

quidem studij ac doctrinæ erant viri non solũ extra populum DEI inter gentes grauissimi, sed in populo Dei sanctissimi, qui res in mũdo gestas, gnauiter pertractabãt, historiasq; earũ contexebant. Quemadmodũ enim patriæ suæ quisq; seruire, non tam beneficijs ab ea acceptis, quàm lege ipsa naturæ, est obstrictus: ita eius gesta memorabilia, præclara merita, aliaq; laude digna & scitu necessaria, exarare prodereq; & tanquã in conspectũ mundi ponere, permagni apud quemlibet est momenti. Vnde rectè dici potest, Reipub. tã eum seruire probè, qui vt incolumis sit, vel belli pacisq; tempore, suas vigilias, labores, sudores ei offerat, proq; ea pericula quæuis adeat: Sed etiam qui eius fortia facta, res clarissimè gestas, literis cõmẽdet, promulget, prouehat, quò fama perenni floreat. Vt enim vita hominis non tantũ eò cõstat, quòd existat, sed quòd probè ducatur ac cõseruetur, habeatq; famã memoria dignissimã: ita regni cuiusuis gesta à bonis regni ciuibus facta, nec euanescere, nec o-

bliuione

bliuione ſepeliri debent. Ex his enim plurimũ vtilitatis omnibus hominibus promanare videtur, cùm hiſtoria quæuis verè prodita, præluceat ea ſapientia, quæ eſt vitæ magiſtra. Vnde & appoſitè & eleganter Theologus ille magnus Gregorius Nazianzenus inquit:

Præclarum eſt mentem hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere; hiſtoria enim conglobata quædam, & coaceruata ſapientia eſt, hominumq; multorum mens in vnum collecta. *Quæ verba præclariſſima omniq; obſeruatione digniſſima, vt fuſiùs explicem, verba Hiſtorici non contemnendi Nicetæ Choniatæ huc adferam.* Vtiliter, inquit ille, inuentæ ſunt hiſtoriæ, neq; paruas ijs, qui rebus melioríb. ſtudent, cõmoditates ſuppeditant, tum vetuſtatis memoria repetenda, tum ingenijs hominũ explicandis, tum varijs eorum conatibus ob oculos ponendis, quibus animorum magnitudo & honeſtatis amor ab ipſa natura fuit inſitus. Iã quia vitia perſtringunt, & præclaras actiones celebrant, moderatiores plerumq; reddunt, & meliores homines, tam ad vitia, quàm ad virtutem propenſos; ijs duntaxat exceptis, qui turpiſſima educatione corrupti ac mala conſuetudine deprauati, nullam virtutis rationem

Gregorius Nazianzen. ad Nicobulũ Pag. 959.

Nicetæ Choniatæ hiſtoriæ laudes.

Hiſtoria vitia perſtringit, uirtutes celebrat.

habent, quia nihil est in rebus humanis præclarius aut magis expetendum. Adhæc ij quos monimenta historiarū complectuntur, quamuis mortales et obnoxij fatis iam olim vitæ quasi pensum absoluerint, immortalitatis quodammodo fiunt compotes. Nam prout turpiter aut honestè vixerunt, ita benè aut malè audiunt, ac animus quidem in locum suum abit, & corpus in primordia, è quibus compositum fuit, resoluitur, actæ autem vitæ ratio, siue sancta & iusta, siue nefaria & iniuria, obitusq; siue felix, siue calamitosus, clara historiæ voce prædicatur. Quamobrē haud ab re liber viuentiū appellabitur historia, rerūq; gestarū descriptio, tubæ clāgor quo iam olim mortui velut è sepulchris excitati in medium producuntur. *Quid proferri potuit præclarius, quid est magis cōsentaneum verbis Nazianzeni, qui dicit historiam esse conglobatam ac coaceruatam sapientiam, nempè ex gestis heroicis heroicorum virorum cōspiratam conflatamq;, vt scias, quid in vita facere, quid omittere debeas, quæ vitia auersari, virtutes quas imitari oporteat. Hæc enim est prima sapientia, quæ bona sunt & mala non solùm discernere posse, sed illa ad sequen-*

Historia facit immortales.

Historia liber viuentium.

Historia cōgloba ta sapientia.

Prima sapientia.

sequendum & fugiendum, prudenti iudicio eligere. Vnde etiam tales personæ in historia producuntur, tanquam ad publicum spectaculum, in quo simulachra aspectabilia virtutum ac vitiorum incurrunt in omnium oculos, quò ex his fines bonorum & malorũ absq; negotio quisq; perspiciat. Antiquorum enim hominum gesta, vt Gregorius Magnus inquit, nobis prophetiæ sunt. Et cùm multi multum egerunt, non tamen, vt Seneca inquit, peregerunt. Multum adhuc restat operis, multumq; restabit, nec vlli nato post mille secula præcludetur occasio adhuc adijciendi. Reliquerant enim illi maiores fixa vestigia, quæ consequi cordatus quisq;, & si non maiora, similia tamen præstare poterit facta illustria & glorioſa. Atq; hoc est quod profert Nicetas hic, historiam librum viuentium appellari, rerumq; gestarum descriptionem, tubæ clangorem, quo iam olim mortui velut ex sepulchris excitati in medium producũtur. Quod & de Historia nostra, quæ est Sarmatica,

In Psal. 7.

Seneca Epistol. 64. pag. 100.

Historia Polonica quæ?

tica, Vandalica, Sclauonica, Heneta, verè dici poterit. Eius enim clarissimis monumentis testata consignataq; est antiquitas, & est multis præstantissimis Historicis, qui gẽtium origines & gesta perscrutati sunt, notissima commendatissimaq;, quemadmodum testimonijs grauissimis & antiquissimis luce clarius demõstraui: ita vt inter alias gentes maximi nominis non immeritò numerari ac recensseri debeat: idq; non modò antiquitatis iure, sed & rebus præclarè gestis semper præsenti memoria, quæ ex his Maioribus, quos parte hac prima exaraui, liquidò patet: ex quibus Princeps quilibet habet quas imitari virtutes, & quæ vitia vitare debeat. Et habemus exempla mirabilium Domini, quæ enarrare debemus omnes ex hac stupenda prouidentia Dei, qua regnum hoc latissimum amplissimum accreuit, Regesq; ipsi ab hominum memoria ad tantum Maiestatis fastigium euecti sunt, Respublica varijs temporibus iactata, & vix non submersa sæuissimis bellorum procellis

Historia Polonica cur scribatur.

quomodo

quomodo emerserit, & in optimum statũ diuinitus sit reposita, constituta, & constabilita. Cuius sunt euidentia argumenta, quæ pro ingenij mei, mihi à Patre nostro cælesti cõcesso, modulo, in hac prima descripsi parte: & magis ac magis id elucebit in reliquis tribus partibus, quas DEO volente, & bonam vitam ac quietã largiente, describpturus sum. Ita vt hinc nobis certò persuadeamus, Deum Opt. Max. huius tam potentis Regni curam semper ab ipsius incunabulis habuisse, illud promouisse, amplificasse, auxisse, dilatasse, & ad hoc tempus, quo regnat Sereniss: & potentissimus Rex noster, SIGISMVNDVS III. Rex hæreditarius Sueciæ, Jagellonis illius maximæ & florentissimæ gentis Lituanicæ inclyti Principis, post Regis Poloniæ potentissimi, augustissima proles, sartum & tectum conseruasse, & vt diutiùs conseruare dignetur, ardentibus votis orandum est. Orandum inquam, Nam flagellum Domini propter atrocia peccata nostra excitatum,

tatum, nobis maximè metuendum est. Nunc q; toto animo & studio in hanc curam incumbendum, vt ab omnium ciuium huius Regni corpore, ipsa ope diuina amoueatur, ne DEO ipso magis irritato, seueriùs sæuiat. Dicerem Prophetarum Dni. Consilia, quæ plena sunt prudentiæ, esse capienda, sequendaq;. Hanc igitur primam Regni iamiam florentissimi potentissimiq; descriptionis partem, Celsitudini tuæ, illustrissime vir, dedicare & offerre statui. Inprimis, propter hanc illustrem dignitatem & honoris amplitudinem, qua inter alios Senatores, Patres conscriptos, qui in regno sunt publici consilij Domini celeberrimi, decoratus es, tuaq; prudentia, studijs ac meritis es ipsi regno commendatissimus. Idq; & ex hoc splendore familiæ Celsitudinis tuæ antiquissimæ, quæ longa semper serie Regno huic viros præclarissimos & florentissimos suppeditabat, tàm Ecclesiasticos, quàm Politicos, quos percensere singulos, iam non puto esse operæ precium, cùm in conspectu sit vir pruden-

ERASMI GLICZNERI

CHRONICON.

REGVM POLONIÆ REGNIQVE POLONICI,

AC IMPRIMIS DE GENTIS VERA ac consentanea origine.

ANTE quam Catalogum Regum omniũ, gentis maximę Polonæ recensuero, eaq́, quæ in descriptione illorũ necessaria esse arbitror, delineauero, operæ pretium est, vt originem gentis ipsius, quam breuissimè exprimam. Sunt viri grauissimi, qui gentem Polonam Henetos esse statuunt, vt & nos certo persuasum habeamus, Polonos Henetos populos esse. Qui verò populi Heneti fuerint, testimonia de illis antiquissimorũ historicorum producenda sunt: illorum præcipuè, qui & tempore, & fide, veritatem historiæ obtinuerunt, Primus itaq́, occurrit Homerus Isaiæ

ORigo gẽtis Polonæ.

Heneti populi qui.

Prophetæ coætaneus, qui ita de Henetis pronunciat.

Homerus Iliade 2. pag. 99. Paphlagonibus autẽ præerat Pilæmenis dẽsum cor Ex Enetis vbi mularum generatio, agro colendo idonearum.

Sic Appollonius in Argonautico carmine:

Appollonius lib. 2 pag. 108. Paphlagonum quibus vt fama est Eneteius olim
Iura Pelops dixit primus, Pelopisq; vetusta,
Nunc quoq; Paphlagones iactant se stirpe creatos.

Herodotus lib. 1. pag. 92. *Herodotus quoq; hæc in verba. Leges vero quæ constitutæ, ab ipsis hæ sunt: Vna quidem prudentissima. Altera autem (quantum ego sentio) qua Henetos ex Illyrijs audio vti per singulos pagos.*

Lib. 5. pag. 336. *Et idem in Terpsichore: Horum fines proximè accedere ad Henetos, qui sunt in Adria.*

Iozephus lib. 1. antiquitatũ Iudaicarum, pag. 11. c. 11. *His consentit Flauius Iozephus, ex Dei populo Historicus, cuius hæc sũt verba: Gomer habuit tres filios, Aschenaz quidem Aschenefeos instituit: qui nunc Regini vocantur à Græcis. Riphat autem Riphæos, qui dicunt Paphlagones. Intelligit autem Iozephus*

zephus Paphlagonas, ipsos Henetos, Paphlagoniæ primarios & antiquissimos populos, quemadmodũ Strabo attestatur in sua Geographia inquiens. Id maxime in confesso est, primariam Paphlagonum gentem fuisse Henetos, è qua fuit Pilæmenes, quem & plurimi ad bellum fuerunt sequuti: qui euersa Troia, amisso duce, in Thraciam abierint, vagatiq, deinde in Venetiam peruenerint. Strabo li. 12. Geographiæ pag. 373.

Quos sane Henetos, idem Strabo scribit à bello Troiano per totum orbem dispersos fuisse, hæc in verba: Æneam, Antenorem, & Henetos, atq, in vniuersum eos qui à bello Troiano per totum orbem terrarum dispersi, vagatiq, sunt, æquum est inter priscos recenseri. Geographiæ li. 1. pag. 26.

Et in locis alijs idem Geographus multoties huius populi mentionem facit, lib. xij. potissimum vt vnum adhuc testimonium adferam. Mæandrius Henetos è Leucosyrijs profectos, Troianis in bello opem tulisse ait, inde cum Thracibus auectos, sedes posuisse, in Adriæ sinus Angulo. Lib. 1. pag. 32. lib. 4. pag. 117. lib. 12. pag. 377.

Subiungo huic

Titum Liuium Historicorum principem, cuius de Henetis testimonium hoc est, casibus varijs Antenorem cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & sedes, & ducem Rege Pylæmene ad Troiam amisso, quærebant, venisse in intimũ maris Adriatici sinum. Eadem de hisce Henetis refert Messala Coruinus in lib. de Romana Historia, ad Octauianum Augustum hisce verbis scribens: Antenor inter cæteros comites Henetorum, multitudinem numerosam secum duxerat, qui Paphlagonia orti patria pulsi exules ad Troiam, quæ bello tum elaborabat, concesserunt. Hi in proxima finitimorum prædia, longè lateq; diffusi, quia multitudine cuncta compleuerant, ex se gentibus nomen dederè, & Venetiæ regio dicta.

Titus Liuius historiarũ ab vrbe cõdita, lib. 1. pag. 2

Messala Coruinus li. de Romana historia.

Facit & horum mentionem Cornelius Tacitus, lib. de moribus Germanorum, cum eos & Sarmatas, & mutatis quibusdam literis Venedos appellat, suoq; tempore eos vicinos Germanorum, iam in hisce oris nostris Polonicis

Corn. Tacitus lib de morib. germanorũ p. 110

Polonicis fuisse scribit. Sed & Ptolomæus suæ Geographiæ lib. iij. hæc in verba. Tenent Sarmatiam maxime gentes Venedæ per totum Venedicum sinum, ipsos Venedos vel Henetos Sarmatas antiquo vocabulo appellans, siquidem in locis hisce Sarmatiam Europæam ponere sit solitus, in quam Heneti longè lateq; suas colonias deduxerunt. Hæc de Henetis breuia vetustissimorum historicorum sufficiant. His subiungo ea quibus nostris temporibus, autores grauissimi, nominis Germanici, Polonos ex stirpe hac profectos esse asserunt. D. Philippus Melanchthon hæc in verba: Notissima est appellatio Riphæorum mõtium, de quibus etsi quid alij scribant non ignoro, tamen in illa parte Septentrionis hæc appellatio celeberrima fuit, in qua fuerunt Sarmatæ, & inter Sarmatas Heneti, sicut Ptolomæus inquit: Sarmatarum gentem maximam Henetos esse. Nomine autem Henetos omnes, vbicunq; consederunt qui lingua Polonica vtũtur, etiamsi dialectis differunt.

Ptolomeus Geographus l. 3. p. 79.

Sarmatæ antiquũ vocabulũ Henetorum.

Philipp. Melanchthon li. 1. Chronic. pag. 27.

Pag. 28. *Et alia, Progressi autem Heneti in littore maris Euxini, compleuerunt magnam partem lateris Arctoi in Europa, & adhuc tenent eas regiones, quæ nunc nominantur Russia, Lituania, Polonia. Et lingua, & nomen, Venetæ regionis, ad sinũ Adriaticum ostendunt, Henetos in Illyricum & vicinas regiones progressos esse, siue ab Antenore eò ducti sunt ex Asia, siue cum iam in Europa essent, paulatim alijs occasionibus ad meridiem processerunt, in terras mitiores minus frigidas, & frugum & vini feraces. Inde effusi sunt in has regiones inter Vistulam & Albim.*

Pag. 195. *Et lib. ij. celebrata est gens, apud Homerum & Herodotum. Postea Ptolomæus inquit: Henetos maximam Sarmatarum gentem esse, vt hodie Russiam, & Poloniam tenet, & magnam Regionem à Vistula ad Viadrum & Albim.*

Tertio quoq; libro eadem refert, inquiens: Ptolomæus scribit, Henetos esse gentem Sarmatiæ, compleuerunt enim magna spacia, quæ

quæ nunc nominantur, Russia & Polonia. His alia subiungit. Quanquam autem in dialectis exigua dissimilitudo est, tamen eandem originem esse harum gentium consentaneum est, Illyricæ, Polonicæ & Boemicæ, & nostrorum Henetorum, & alibi loquentium eadem lingua.

De vocabulis Regionũ & gentium.

Alia verba habet consona alio in loco, Equidem suum cuiq; iudicium permitto, sed tamẽ Ptolomæi descriptione moueor, & ipsa appellationis vetustate, vt Vandalos gentem Sarmaticam esse existimem, quos vocamus **Wenden**. *Nec mirũ est etiam antiquissimis temporibus, Sarmatas qui sæpè mutare sedes solebant, in viciniam effusos, Germanis admixtos esse. Sunt autem variæ illius vnius gentis appellationes, quarum aliquæ sono non multum discrepant, Venedi, Fenni, Vandali, alibi* **Sclawy** *vocantur. Vniuersam hanc gentem ab Henetis ortã esse iudico, quos Herodotus affirmat, ex Asia egressos in Illiryco consedisse. Ab his Henetis & ora Italiæ*

Vandali gens Sarmatica.

Venetia

Venetia dicta est. Egressi autem vel ex Illyrico vel ex ipsa Asia compleuerunt vicina loca ad Septẽtrionem vbi nunc sunt Poloni. Quare adhuc aliquid humanitatis Asiaticæ referunt, & plurimum differunt figura corporum, ingenijs, moribus, victu, à vicinis Scythis, cum quibus perpetua bella gerunt. Nequaquã igitur illis assẽtior qui affirmãt, seu Polonos, seu Vandalos, seu Venedos, seu Sclauos, Scyticam gentem esse, sed ab Henetis propagati regnarunt, & in Illyrico & in Sarmatia, & Respub. magno consilio constituerunt. Magna eorum in re militari industria, magna virtus est, nec deest eis scientia domi regendæ Reipub. in Imperijs iustitia & æquitas, amor religionis & pudicitiæ, in pactis fides, ingenia habent sanè Græcũ quiddam referentia, eo quod in Asia vicini Ionũ, in Illyrico Græcarum fuerunt disciplinarum capacia, & inprimis arguta. Colunt studia literarum etiam nobiles, earumq; cognitionem in laude ponunt, & magno sibi vsui esse in Repub.

Poloni Asiaticã humanitatem referant.

Polonorũ maximæ virtutes & indoles.

Repub. ducunt: Quid cogitari dissimilius naturæ Scythicæ potest, quàm hæc sunt quæ recensui? Credamus igitur his argumentis, quæ testantur, Venedos ab Henetis ortos esse, & admodum probabiles coniecturæ sumũtur à nominibus & linguis. Hic & nomẽ & lingua congruunt cum illius gentis in Illyrico appellatione & linguâ, quare eadem origo est. Hæc Philippus Melanchthon, homo Germanus, vir doctissimus, de origine vera Polonorum & de moribus eorum, quos antiquissimam gentem, honestissimis moribus excultam, bellicis studijs deditam, in optimo regiminè Reipub: prouidam ac solertem, quæ iustitiam, fidem, disciplinam & studia bonarum literarum colat, pleno ore fatetur.

His omnibus suffragatur Gaspar Peucerus in suis Chronici Philippi complementis, parte iij. lib. iv. potissimum. Georgij Sabini Brandenburgensis viri doctissimi, alia de eadem gente profero, Sic scribit: Non

Gaspar. Peucerus

Georgius Sabinus Brandẽb.

in Epistola ad Stanislaum Dziadasium.

dubium est Polonos Henetam gentem esse, quæ & in Asia vicina fuit genti omnium laudatissimæ & cultissimæ Ionicæ, & postea duce Antenore, in Europam ducta, propinquas Græciæ sedes in Illyrico occupauit, ac tenet etiamnum annos ad hoc tempus, post bellum Troianum circiter bis mille sexcentos, inde progressi, Septentrionis oram ad Istulam compleuerunt. Hæc de Henetis obscura sequor indicia, Gentium origines præcipuè ex appellationibus & lingua iudicãdo. Quos verò hodie dicunt Venetos seu Venedos, hos esse Henetos ostendunt appellatio & locus. Nam Henetos in Illyrico, vbi manet appellatio Venedorum, consedisse affirmat Herodotus. Deinde linguam Polonorum congruere cum Illyrica manifestum est, & multarum vrbium appellationes cognationem cum Polonis ostendunt. Hæc Sabinus, & verè & sufficienter Polonos gentem Henetam esse asserens. Si quis plura hanc in rem scire velit, legat medicum illum Curæum in

Annalibus

Annalibus Silesiorum, qui secutus suorum popularium iudicium eadem de Polonis pronunciat. Sed & Cromerus noster non obscure idem sensisse videtur, cum de origine Polonorum scribens, Sclauos, Venedos, Polonos, & cognatos & Sarmatas esse dicit, harumq; gentium omnium & nationum, qui Sclauico & Venedico nomine cẽsentur, communem originem esse asserit. Atq; hæc sunt breuissima, quibus euidenter testibus locupletissimis ostendi, gentem primariam Polonorum fuisse, & esse Henetos illos celebratissimos laudatissimosq; populos. Reliquum est vt & paucis quoq; indicem, de priscis huius populi sedibus, quando & qua occasione in has oras cõmigrarint, vt de nostrorum Polonorum in hisce oris & origine & cõmigratione aliquid certi & explorati statuere possimus. Atque hoc est omnium difficillimum iudico, propter variam scriptorum in hac re historiam. Pauca tamen ea quæ quantũ quidem ego ex probabilioribus rationibus assequor, consentanea

Cromer. de origine Polorum lib. 1 cap. 9. 11. 12. 16. pag. 10. 12. 17.

Sedes antiquissimæ Henetorum.

vero de eo afferam, in quo nec prolixus nec curiosus esse volo, sequor communem ac probabilem sententiam: Heneti erunt Anatolici vel Asiatici populi, Ionibus, Græcis, populis selectioribus præstantioribusq; reliquis, contermini: qui post bellum Troianum, vt inquit Strabo, per totum orbem ferme dispersi sunt. Horum erant nationes & tribus numerosissimæ, quæ Illyricum cõplentes, abundante multitudine, alio colonias suas deduxere, & potissimum in Europa latè progressi, etiam Boëmiam, Poloniam & partem magnã Sarmatiæ, vsq; ad mare Balthicum occuparunt. Cum autem Herodotus scribat, populos hosce Henetos statim post belli Troiani tempora Illyricum inhabitasse, & Ptolomæus testetur Sarmatarũ, quos in hisce Polonicis collocat sedibus, maximam partem esse Henetos: eoq; testimonio, suo iam tempore genus hoc hominũ numerosissimum potẽtia & viribus præstãs, fuisse innuat, credibile est Henetos Polonos multis seculis

Strabo Geogra. li. 1. p 26.

Herodot. li. 1. p. 92. lib. 6. pag. 336.

tempus

tempus Ptolomæi, qui Adriani fuit Cæsaris, aliorumq; historiographorum antecessisse. Vnde antiquitate hac moti quidã, vt est Albertus Crãczius, in hisce Europæ terræ partibus Sclauos, Vandalos, Polonos, & alios huius generis, ab hominum memoria, sedes suas tenuisse testantur, & vt nostrates Miechouius & Decius opinantur, aliquot centum annis ante natum CHRISTVM Dominum, commoratos fuisse, vt eo pacto ante aduentum Lechi in has Poloniæ oras Henetos, hoc est, Sclauos, Polonos, Vãdalos, Polonorum cognatos, & congeneres, in hisce oris degisse, certò nobis persuadeamus. Nam Lechum posterius in eadem concessisse loca, cum maxima vi Henetum non ægrè concedendum est, idq; à Danubio celeberrimo fluuio Pannoniæ, vbi primo profecti ex Illyrico maiores eius consederunt, cum à Romanorum colonia in Dacia vel Valachia, tutandi orientalis imperij ergo cõstituta, alijsq; hostibus Longobardis & Hunnis vltrocitroq; in-

Crãczius in Vandalia lib. 2. pag. 36.

Miechouius in Chronic. ca. 5 pa. 7. & in Epistola ad Cricium.

Decius in vetustatibus Polo. pag. 9.

Sigismũdus Herbestein in sua Moschouia pag. 2.

festarentur, vsq; ad Istula loca, vbi suas certas & perpetuas, omine ac proposito fausto, fixere, ad habitandum & regnandum, sedes.

Quod autem Historicus ille Silesius scribit, post interitum Attilæ gentem Sarmaticam, hoc est, Polonam, ex illis amplissimis regionibus, quæ nunc habent nomen Russiæ vel Moscouiæ, ab ipso mari glaciali, vsq; ad paludẽ Mæotidem, egressos fuisse, & hæc loca Regni Poloniæ, ab alijs populis deserta occupasse, in hisq; Regnũ, subactis proprijs, qui supererant incolis, constituisse, maturo iudicio accipiendum est, cum & ipsi Germanici scriptores, ad paludem illam gentem Germanicam habitasse, huiusq; lingua longinquas gentes loquutas fuisse, glorientur: vnde constaret, non Polonos, sed Germanos hos populos fuisse, qui in hæc loca commigrarint. Sed hæc sunt huius scriptoris tanquam delirantium somnia, quemadmodum & alijs verbis, quæ scribit se ex historia Sigismundi ab Herberstein, accepisse, profert.

Curęus in annalibus li. 9. p. 25.

De origine Polon. Curęi somnia.

Mihi

Mihi, inquit, verisimilia protulisse videtur, vir omnibus vitæ ornamentis clarissimus, Sigismundus ab Herberstein, qui in Historia sua Moscouitica, in annalibus Moschorum, tradidit, olim ad nobilẽ vrbem Kiouiam, vbi est cõfluens Neparis & Boristhenis, non longe à ripa paludis Mæotidis habitasse populos Rhutenicos, qui dicebantur Poloni, id est, campestres. Inde igitur procul dubio commota est maxima multitudo Sarmatica, quæ in nostra loca migrauit. Sed quam fidam Historiam Moschouitæ habeant, non est iam necesse dispicere, cum præsertim gloriæ inanis cupidissimi, multa soleant comminisci, quibus obtinere fidem percupiunt, vt gentem suam clariorem reddant. Quare & vir ille celebris Herbersteinus, & ipse Curæus vanissimè Polonorum originem Moschouiticam vel Russicam fuisse opinantur, ex illisq; paludibus Mæotidis profectos, loca, quæ Germanorum Curæus propria fuisse fabulatur, occupasse, & tunc primum nouum regnum in his

consti-

constituisse fingit. Quæ omnia nos in præcedentibus & sequentibus argumentis, quibus veram gentis nostræ originem delineauimus, refutauimus: eo potissimum, quod Poloni ab hominum memoria, in his terris in quibus iam latissimè dominantur, habitauerint, & ipsis Germanis, Silesijs, Misnẽsibus, Pomeranis, vt ex probatis historijs liquet, ante multa Attylæ tempora imperauerint, de quo vt fusius scribam, non est operæ precium, cum præsertim & ipsius Philippi Melanchthonis hoc testimoniũ euidens habeam, qui ita scribit. Ego quidem existimo Henetos etiam ante Gotthica tempora mixtos fuisse gentibus Teutonicis, quia Dion expresse scribit, Albim oriri in montibus Vandalicis. Hocq; ex probata constat historia, in exercitu Ætij Ducis Romani, Sarmatas cõtra Attylam militasse: quo euincitur, ante multa Attylæ tẽpora Sarmatas, hoc est Polonos, in his oris in quibus iam dominantur, degisse, nec primum post Attylæ tẽpora, vt Curæus sõniat, in illas cõmigrasse.

Lib. 3. pag. 224

Dion Romanæ historię lib. 55. p. 336

Iordanis lib. rerũ Geticarũ pag. 621.

Otto Frisius Chronic. lib. 4 c. 26 p. 96

Quantũ

Quantum vero etymon nominis Polonici concernit, peregrinum non affecto, sed proprium affero: dictam Poloniam ad differentiam aliarum prouinciarum, & populorum imperij Sclauonici, qui ob loca & cãpos, quos incolebant, diuersa sortiebantur nomina: vt dicerentur vel Drewlanie lignosi à lignis: Trawianie graminosi à gramine, Kassubijanie rugosi, à rugis & plicis vestium, alij Pomerani, quod maris littora incolerent, alij Slesitæ, à promiscuis habitatoribus, de quibus vulgò dicunt Poloni, ſe ſie ſleſli! Boêmi, Poloni, Germani, & id genus alij. Quod & Caspar Peucerus non diffitetur, inquiens: nomen gentis vel collectitiam multitudinem significat, nomine à conuenis facto, quos Sbigneus nothus Casimiri Primi filius accitus, contra fratres à Polonis exulibus, adduxit in Silesiam, ex diuersis gentibus Germanis contractos. Ita Poloni dicti à campis patentibus & planis, quos incolebant, venationi potissimum, quæ genti Pole dicitur

Polonia vnde dicta.

Caspar Peucerus l. 5. Chronicorum pag. 832.

 studentes,

studentes, non tam quæstus quam exercitij causa, vt quemadmodum erant bellicosi, ita venatione sese ad facultatem bellicam assuefaciebant. Est enim venatio rei bellicæ meditatio verissima. Quemadmodum de Cyro apud Xenophontem legimus, qui exercitationis bellicæ gratia, suos ad venationem educebat. Hæc enim apud Xenophontem extant de eo verba: in his exercendos arbitrabatur, quod venationẽ duceret, tum vniuersæ bellicarum rerum exercitationem esse, tum equestris rei verissimã. Nam ad equitandum in quibusuis locis aptos maximè reddit, quod fugientes feras sequi necesse sit, & habiles efficit maximè ad quoduis opus ab equis proficiendum, propter ambitionem & cupiditatem capiendi feras: Et alia. Cõsuefacit etiam ad surgendum diluculo, & ad frigora caloresq; perferendum, atq; etiam ad itinera & cursus exercet. Præterea sagittis iaculisq; bestiam petere necesse est, vbicunq; inciderit, sæpè etiam acui animum in venatione oportet,

Venatio bellica meditatio

Xenephõ de institutione Cyri, lib. 8, pag. 162, & l. 1. p. 4

oportet, obijciente se feroci aliqua bestia, nam quæ offerunt sese bestiæ, feriendæ sunt, ab ijs cauendũ quæ in venatione irruunt. Adeoq; non facile, quis reperiat, quidnam eorum quæ bellum habent, à venatione absit. Polonos igitur à venatione quæ ipsis Pole dicitur, dici non est absurdum, cum rei bellicæ omni tempore erant studiosissimi. Sed hæc quoq; sufficiant, ad Reges regnumq; Poloniæ propero. Numerantur Reges à LECHO vsq; ad hodiernum Regem SIGISMVNDVM Tertium, xlvij. Ex quibus xvi. gentiles fuere, reliqui à Miecislawo Christi nomen professi sunt. Quorum omnium Catalogum subijciam, & in quatuor partes digeram.

PRIMA PARS REGVM POLONIAE.

Catalogus Regũ Poloniæ.

1 Lech.
2 Visimier.
3 Palatini duodecim.
4 Cracus.
5 Lech Secundus.
6 Venda virgo.

7 Palatini Duodecim.
8 Przemislaus vel Lescus primus aurifaber.
9 Lescus Secundus plebeius.
10 Lescus Tertius.
11 Popielus Senior.
12 Popielus Iunior.
13 Piast ciuis Crusuicensis.
14 Zemomislaus.
15 Lescus Quartus.
16 Zemomislaus.

Hi omnes gentiles erant & cultui dæmonum dediti. Sequuntur Christiani.

PARS SECVNDA REGVM POLONIAE.

17 Miecislaus.
18 Boleslaus acer Chabry.
19 Miecislaus.
20 Casimirus Primus.
21 Boleslaus Secundus.
22 Vladislaus Primus.
23 Boleslaus Tertius, Distortus nomine.
24 Vladislaus Secundus.
25 Boleslaus Crispus.
26 Miecislaus Senex.
27 Casimirus.
28 Lescus albus cum Helena matre.

29 Vladislaus Lassonogus.
30 Boleslaus Pudicus.
31 Lescus niger.
32 Henricus probus.
33 Przemislaus.
34 VVenceslaus Boêmus.
35 Vladislaus Lokietek.
36 Kasimirus Magnus.

TERTIA PARS REGVM POLONIAE.

37 Ludouicus Vngarus.
38 Vladislaus Iagello Magnus dux Lituaniæ.
39 Vladislaus Iagello filius.
40 Casimirus.
41 Ioannes Albertus.
42 Alexander.
43 Sigismundus Primus.
44 Sigismundus Secundus Augustus.

QVARTA PARS REGVM POLONIAE.

45 Henricus Valesius, dux Andius, Gall' iuuenis
46 Stephanus Transyluaniæ Princeps, ex nobilissima Regia Bathoreorum de Somlio familia Vngarica.
47 Sigismundus 3. Rex Suæciæ.
48 Vladislaus
49 Casimirus
50 Michael Korybutt
51 Ioannes Sobiewsk.

DE Augustus 2dus
DE Augustus 3tus

DE PRIMO VT FERVNT POLONIÆ REGE LECHO.

FERVNT cõmuniter LECHVM primum gentis Polonæ fuisse genitorem, & Regni Polonici effectorem, verum hi nimis mihi aberrare à verò vidẽtur. Multis enim ostendi potest, ante hunc Lechum Polonos in his vbi iam residẽt locis, commoratos multiplicatosq; fuisse, qui citra vnius imperium summum, plebeiaq; libertate, vt Procopius Cæsariensis testis est, Rempub: administrabant, res omnes quæ vel vtiles vel difficiles essent in commune consilium deducentes: quod tamen succedente tempore, & necessitate postulante, vel ad vnum, vel plures selectos suo ex ordine & corpore heroas, referre consueuerant. Deinde in sedibus hisce vetus est, & vt Cranczius perhibet, ab hominum memoria, Sarmatarũ, qui non alius est atq; Polonicus populus, habitatio: Grauissimi

Sclauorũ R. P. antiqua. Procopi' Cęsarieñ: lib. 3. de bello Gotor. pag. 144.

Crancius in Vãdaliæ lib. 2. pag. 36.

uissimi enim & uetustissimi scriptores horum faciunt mentionem: ut cum Berosus scribit Tuisconem Germanorum & Sarmatarum imperium in Europa condidisse, credibile est, Polonos illorum Sarmatarum reliquias existere, cum in Germania ipsa à multo hoc tempore, & post susceptum Euangelium Christi, quod efficienter postea declarabitur, imperauerint, & autores ipsi Germanici, Italiciq, hos Sarmatas, qui ab illo Iectami filio Asarmethe, vt vult Moses, & Berosus, & in Berosum cõmentator Annius Viterbiensis sunt progeniti, non alios atq; Polonos fuisse fateãtur. Auentinus nostri seculi Historicus peritissimus, in hæc verba Sclauorũ Sarmatarum, hoc est, Polonorum uetustatem euincit, quæ ad obtinendam huius fidem proferam. Docet enim gentem hanc, & temporibus Alexandri Magni regna sua florentia habuisse, & quorumlibet hostium arma non extimuisse, cum animo excelso & armato, cum ipso minaci ac arroganti Alexandro egerint, eiq;

Berosus lib. 4. 5.

Gene. 11. Berosus lib. 4 5.

Auentin. annalium Boiorum l. 1. p. 62.

Sarmatarũ Polonorũ ad Alexãdrũ Magnum legatio.

eiq; legationem liberam destinarint, huiusmodi. Adfuerunt & Germanorum orientalium (quos Sarmatas & Scythas scriptores rerũ, nos Venedos, ipsi se Sclauos vocant) oratores, hos ita locutos accepimus. Si Deus auiditati tuæ par corpus dedisset, orbis terrarum te non caperet, altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc assequutus, scire velles, vbi Solis fulgor absconderetur: Sic quoq; cõcupiscis quæ non capis, ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus superaueris, cum syluis & niuibus, & fluminibus, ferisq; bestijs, bellum gesturus es, Arbores magnæ quæ diu quidem crescunt, vna hora extirpantur: Leo quoq; minimarũ auium pabulum est, & ferrum rubigo consumit, nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus, qui sis vnde venias, licétne ignorare in vastis syluis paludibusq; viuentibus? nec seruire vlli possumus nec

mus nec imperare desideramus, Gloriaris te ad latrones persequẽdos venire, omnium gentium quas adisti latro es, iam etiam ad pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis. Impone felicitati tuæ frenos, facilius eam reges, si DEVS es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere. Si autem homo es, id quod es semper te esse cogita. Nos Asiæ & Europæ custodes habes, utriq; imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse considera. Hæc Auentinus, ex quibus vetustas Polonorum prouectior, quàm ab aduentu Lechi asseritur, illorumq; armatus animus & præsens, in Alexandri insolentiam depingitur. Strabonem Geographum nobilissimum non est operæ precium ad cõprobandam hanc Polonorum antiquitatem me adferre, hic enim vixit tempore illo acceptabili & die salutis, quo CHRISTVS generi apparuit humano, & factus est nobis à DEO 1. Cor. 1. iustitia, sapientia, redẽptio, & sanctificatio, quo tempore hic Strabo & de Henetis &

Sarmatis gentis nostræ maioribus plurima quantum assequi potuit in scriptis relinquit. Cornelium Tacitum, Equitem Romanum, huc repono, qui anno post patefactum Christum lxxv. de Germanis scribens, Sarmatas illi adiungit, utrosq; mutuo metu separatos fuisse scribens. Quos quidem Sarmatas ipsi Germanici viri doctissimi in suis in Cornelium commentarijs, utpote Althamerus Glareanus, Iodocus Villichius, & alij Polonos fuisse interpretantur, ex quo constat gentem Polonam in hisce Sarmatarum oris ante Lechum Regem sedes suas habuisse. Huc tempus illud commemorandum est, quo Marcus Antoninus decimusquartus ab Augusto imperator Romanus, cum varijs gentibus, & cum Sarmatis bellum maximo cum periculo sui exercitus gessit, & illud prouidentia quadam Dei, ut Orosius scribit, confecit. Hos vero Sarmatas Germanicus Historicus Auentinus testatur fuisse Polonos & Morauos, cum inquit: Deinde ad conficien-

Cornel. Tacitus li. de moribꝰ Germanorũ.

Orosius l. 7. c. 15.

Auentin. lib. 2. annaliũ, pa. 160.

dum

dum bellum Marcomannicum, conuersus triennio cum Quadis, Marcomannis, Sarmatis bellauit. Conniteba-tur Marcomanniam & Sarmatiam, hoc est, Boëmiæ & Poloniæ regnum prouincias facere. Cum autem huius belli annus à Christo seruatore fuerit clxxiv. palam est Sarmatas Polonos ante Lechum regnasse. Vlterius non est quod progrediar in hac obtinenda Polonorum antiquitate, cum & Cromerus ipse affirmet, Lechum hũc ad Polonos uenisse, non nouas colonias deducentem, sed ad consanguineos populos, qui iam ante loca hæc inhabitabant, se conferentem. Quod & Blondus Historicus insignis & grauissimus, hisce explicat uerbis. Locutionis similitudo ac penè proprietas, ostendit, eos qui nunc Poloni ac Boëmi dicuntur, ex Sclauorum reliquijs fuisse. Incoluerant autem prius, vt supra diximus, ea loca Vandali, quos credendum est, quando ad Romanorum inuadendas prouincias sunt profecti, partem gentis in patria reliquisse. Quare

Cromer. l. 11. Chrõ. pag. 18. cap. 16.

Blondus Decadis 1. lib. 8.

Sclaui, paulo post superuenientes, ita loquutiones commiscuere, vt ex vtraq; tertiam effecerint: qui pro regionis & ducum diuersitate, partim Boêmica, partim Polonica post modum sit dicta. Ex quibus omnibus patet, Lechum non fundatorem, nec progenitorem, sed promotorem ac administrum gentis Polonæ extitisse.

Lechus vnde in Poloniã venerit. Cromerus lib. 1. de Repu. Polo. cz. 16. p. 18.

Vnde autem venerit Lechus iste, astipulatur etiam Cromerus his, qui ex Croatia Illyrica, iam Turcica prouincia, eum cõmigrasse, dicũt, nec incredibile est, id quod antiquitatis fama & cõsensu celebratur, Lechũ siue Lachũ illũ cum fratre Ciecho è Croatia in has oras veniss e. Et alijs verbis: Quid si autem Ciechus & Lechus, non peregrini ad has oras venerunt, sed ad suos reuerterunt, vnde vel ipsi vel parentes, maioresué eorum in Croatiam profecti erant. Conuenientissime igitur proferunt Dlugossus Miechouius & ille Ludouicus Decius in suis Poloniæ vetustatibus, hunc ex arce Psari in Sclauonia sita,

sita, in has vbi est Polonia, oras concessisse, quod equidem sentire, cuiuis absurdum est minime.

Quando vero hoc factum sit, non adeo assequi est difficile, si modo his fides, qui certum tempus aduentus eius adnotant, adhibeatur. Is est annus DL. post Christum seruatorem natum Dominum nostrum, qui vt ex historijs liquet annus fuit imperij Iustiniani Magni Cæsaris xxiij. Colligitur autem tempus hoc partim ex autoribus fide dignis, qui hoc summo studio perscrutati sunt, vt est Fulsteinius, Vapouius, Cromerus & alij: partim quod eo ipso tempore in hisce Polonicis locis imperium Sclauorum latius extendi & constabiliri super gentem Germanicam cæptum sit. Motus etiam varij & funesti, inter Sclauos ad Danubium, vt testis est Procopius, eo tempore commorantes, agitabantur, qua tempestate credibile est Lechum malis & calamitatibus domesticis turbatum ac pressum in Poloniam, quæ etiam turbis multis

Quo tempore Lechus in Poloniã venreit.

vexata & afflicta, virum prudentem ac potentem requirebat, commigrasse, & ad imperij eius gubernacula sedisse.

Principia & virtutes Lechi in imperio Polonico promouēdo.

Cum itaq; Lechus in Poloniam veniſſet, imperijq; habenas ſuſcepiſſet, principio imperij ſui fundamentum pietate iacere cœpit, à Dijs ſuis gubernationis ſuæ capiēs primordia. Sciens enim Deos non modo religioſis factis, ſed & caſtis ſacrificijs delectari, illis ritu eo quo cōſueuerat, ſacrificauit, quo & ſuum populum de religione admoneret, regnūq; ſibi & poſteris ſuis conſtabiliret. Quo facto prudētiam tanquam rerum agēdarum regulam exploratiſſimam, & quæ vt Plutarchus inquit, vt plurimum bonam fortunam donat, & eſt aliarum virtutum principium, Philone teſte, inter ſuos maximam declarauit, cum præcipuas familias quas adduxit, ſuis præficeret locis, cæteram multitudinem in colonias per loca varia & vacua diſtribuens. Et compertum habens viuere non poſſe fortem, niſi ſint qui terram colant, vnumquemq; rem familia-

Pietas.

Prudētia.

OEconomia.

rem

rem curare, agros colere diligenter monuit, Rempublicam tanquam domum paternam administrauit: subditos non secus ac liberos & propinquos paterno affectu gubernans, magna clementia in eos vsus, quo ei libentius parerent, ac manere apud ipsum in periculis semper vellent, ipseq; securus in gremio cuiuslibet dormire posset. Ius ex æquo omnibus dixit, quod tamen arbitria eius erant ipsis legibus cõuenientissima, ad quæ assequenda palatium eius omnibus patebat, cũ ipse omnes & audire & causas illorũ cognoscere fuerit paratissimus, ita vt nullus de iustitia exhibẽda iustè cõqueri, nec in talem principem quicquã aduersi moliri potuerit. Et sciẽs quoq; principẽ nõ oportere solidã dormire noctẽ, vigilans & attẽtus fuit in Reip. cõmodis adipiscẽdis augẽdisq;, & incõmodis propulsandis: tali fortitudine præditus, qua regionẽ suam benè instructã, ab hostibus quibuslibet tueri expeditissimus esse queat. Vnde etiam proditũ literis habemus, eũ longè & latè imperiũ suum protulisse, nõ modo inter suos Henetos & Ger-

Reipub. administratio.

Vigilãtia

manos finitimos pōpulos, Silesios & alios, apud quos maiores Polonorum imperium habuisse sciebat, sed & alios superiores Germanos ad Rhenum vsq; fines vrbis Coloniæ contingentes, in quibus arcem à suo nomine Lechnick vocatam, tanquam extremam suæ militiæ & imperij sui columnam firmissimam extruxit. Qua ratione imperium eius non vsq; adeo pacatum & quietum fuisse crediderim, cum illi incumbebat cum multis qui eius imperium detrectarēt, decertare. Gessit igitur multa bella dexterrimè felicissimèq;, de hostibus sæpius triūphans, idq; non solū ingenti suorum conscripto exercitu, sed etiam ipse solus in duello, cū Regulo quodā Theutonici generis, ad quod, suorum salutem suæ præferens prouocauerat, congrediens: & victor de illo opima spolia referens, Regiam suam non procul à Silesiis & Prutenis collocauit, ciuitate & arce extructa, quam Gniezno vocabulo Sclauonico, quod nidum latinis sonat, appellauit, vel ab aquilis regijs auibus, quæ

bus, quæ eo loci fælix ac fauſtum imperium Lecho nunciaturæ conuolarant: vnde etiam inſigne Regum Poloniæ deriuatum, huc vſq; in vſu eſſe videmus, vel quod ibi nidum aulæ ſuæ regniq; totius conſtituerit. Arx autem & ciuitas fuit rudi ex materia, mænijs non ferreis ſed terreis, vt docuit quidã, munita. Quod & de priori Roma accepimus, quàm Auguſtus Cæſar terream ſe accepiſſe, lapideam reliquiſſe, aiebat. Quod vt ſcribit Dion Auguſtum dixiſſe magis, non ob elegantiam ædificiorum, ſed ob firmitaetm imperij, ita Lechus ciues ſuos fide ac virtute armatos pro mænijs ac propugnaculis firmiſſimis habebat. Erant etiam tunc Poloni ſimplicitate & rudi rudimento, vt Tacitus de vicinis Germanis ſcribit contenti, apud quos nec cæmẽtorum, nec tegularum quidem vſus fuit. Quemadmodum & de ipſa Roma legimus, quæ per quadringẽtos annos, vſq; ad Pyrrhi bellum domos rudi cæmento conſtructas, & ſtramento contectas habebat. Ita antiquitus

Regia Lechi Gnezna ciuitas Primaria.

Inſigne Lechi auis Regia aquila.

Dion lib. 51 p. 361.

Cornel. Tacit. de moribus Germañ. lib. p. 205

Poloni antiquit° non magnificas ædes extruebant.

Poloni non magnificis vel splendidis domibus se ornabant, sed sua dignitate & factis hæroicis domos suas cohonestabant, natura ipsa illud perpendentes, quod non domo dominus, sed domino domus sit honestãda. Talis igitur Gnesno ciuitas fuit, ad vsum tantum Regni necessarium non ad splendorem exædificata. Quæ quidem vetustissima superest adhuc hodie eodem in loco, eo tamen felix, quod, vt inquit Dlugossus regni Poloniæ historicus, cum alias plures vrbes Polonicas parturierit, se ipsam exinaniuit. Habet tamen quam plurima & hoc tempore, quibus memoriam suæ pristinæ dignitatis ac splẽdoris, cum magna laude refricare & reuocare potest, cum metropolis totius Regni Regumq; priscorum Regia fuerit, illorumq; cineres terra tanquã operimento matris obductos habeat, tàm Ethnicorũ, qui fortia & illustria facta gesserunt, & Regnum Poloniæ ampliarunt, quàm & eorum qui mysterijs sacrosanctis initiati sunt, acceptumq; Regnum à maioribus suis conseruant.

seruant, quodq; hæc ciuitas veteribus tutissimum profugium fuit, omnium consultationũ tempore omni pacis belliq;. Hæc ciuitas fuit prima, in qua primordia religionis Christianæ, & quidẽ simplicia cœperunt. Rex primo lauacro regenerationis ablutus, veterem hominem deposuit & nouum induit, quod & toti Regno diuinitus conferebatur. Auxit & auget dignitatem ciuitati huic Templum augustissimum & antiquissimum, cuius Præses iam est, vir maximi nominis STANISLAVS KARNKOVVSKY, in Regno Poloniæ tenens principatum omnium Episcoporum, & est Primarius, vel Princeps Senator Regni, vir gloria clarissimus, & authoritate grauissimus, vir prudens, consilio, iudicio, studijs & meritis in Repub. Polona præstantissimus, viuit ad summam senectutem, satur dierum, omni memoria dignissimus. Habet etiam hæc ciuitas sui nominis Castellanum, qui iam est hoc tempore Illustris vir DOMINVS IOHANNES de Zborow: Graudziacensis, Odalonouiensis,

VVolpienſis, &c. Capitaneus, de Republica Regni tàm pacis quàm belli tempore optime meritus. Accedit nundinarum πανήγυρις celebratiſſima, in qua ex remotiſſimis regionibus, varij generis merces aduehuntur tanquam theſauri, ex quibus & Regnum & aliæ longinquæ nationes, & opes colligunt & ditescunt. Nec ipſi ciuitati deſunt ciues boni & prudentes, ſtatum ſuæ Reipub. qua poſſunt induſtria ſaluum ac ſanum cõſeruantes. Quæ omnia cum antiquitate huius vrbis collata maximum eius ſplendorem enunciant, ac etiamnum in conſpectum omnibus ſtatuunt, ne ita vilis & contempta hoc tẽpore videatur, atq; cum eſſet à Lecho primo Rege inſtituta & ornata. Sed ad Lechum ciuitatis huius fundatorem primũ redeo. Re-ditus hic princeps habuit ampliſſimos, ſubditis omnibus regni ampliſſimi, eos hilari ac beneuolo animo, vltro, non coactu aliquo legum vel indictionum præbentibus, ex quibus non modo ipſe Rex cum neceſſarijs ſuis viuere honeſte ac ſplendidè,

Re-ditꝰ.

didè, sed & Rempub: pacis & belli tempore prouehere conseruareq, iustitiam in Regno administrare, insuper in omnes benèmeritos liberalitatem exercere potuit. Erat enim Lechus liberalissimus, qui ne vnum diem elabi patiebatur, quo non beneficium aliquod in benemeritum aliquem collocasset. Et ad reditus hosce persoluendos, nummus erat incognitus, cum omnia citra pecuniam permutatione rerum comparabantur. Et quidem more antiquissimo Græcis, Germanis, Homero & Cornelio Tacito testibus, vsitatissimo, de quo & Lycurgi legem apud Iustinum legimus, vt non pecunia, sed compensatione mercium singula emerentur. Quæ tempora, Plinio attestante, feliciora fuisse certum est, cum nummo incognito, voluntaria rerum permutatione, vinculum humanæ societatis constabat, atq, hæc nostra sunt, quibus nummorum fraude, maximam rerum iacturam in Regno Poloniæ inuectam experimur, attestante Cromero, cuius hæc sunt verba: Deterior nunc

Liberalitas.

Homerus Iliade 7. p. 269. Cornel. Tacitus li. de moribus Ger. pag. 203. Iustinus li. 3 p. 45. Plin. l. 33 cap 1. pa. 459.

Crom. li. de situ moribus Reg. Pol. f. 20.

esse fertur reliqua moneta, cum ponderis diminutione, tum æris admixtione. Vixit hic Lechus gentis Poloniæ Rex, sine dubio ad multam ætatem prouectus, prolem multam post se relinquens: & moriens, vt secum optimam spem ferat, mansura fundamenta Reipub: quæ ipse iecerat semper integra, ita suos posteros commendabat, vt imperio Regni digni præficerẽtur, primasq; in eo partes tenerent, ætate & rebus gestis senior, consensu omnium sanxerat. Quibus omnibus ritè peractis imperium cum vita commutauit, subditis omnibus luctu & mærore grauissimo mortem eius prosequentibus.

DE

DE VISIMIRO EX POSTERIS LECHI, REGE.

QVAM diu apud Polonos posteri Lechi regnarint, literis vetustioribus nullis proditum habemus, posterioribus tãtum cõsignatum tempus CL. annorum legimus, vsq; ad hunc Visimirum, quem vltimum exstirpe Lechi fuisse asserunt. Hic est ille Visimirus qui in Daniam vsq; arma Polonica extulit, magnamq; partem Danici imperij, rege Siuardo profligato, ditioni suæ subiecit. De quo cũ ipse Crantzius Danicus scriptor, mentionem faciat, eius verba, maioris testimonij causa, adferam. Regnabat, inquit, in Danis Siuardus, multum à paterna probitate degenerans, cuius contemptu Vandali id ausi, Lutiam tantam prouinciam vastare sunt aggressi. Adiuuabat illos tempus quod Regem iam NORVAGICO bello sciebant implicari. Illud quoq;

Lechi posteritas quam diu durauit.

Visimiri bella cum Danis.

Albertus Crantzius in Vandalia li. 1. p. 11. 12.

Illud quoq; fortunæ illorum acceſſerat, quod cum illi graſſarentur in Lutia, rex laceris agminibus victus magno prælio redibat. Magnis tamen itineribus cum eo quod reliquum erat agmine contendit in Lutiam, vt obuius fieret Vandalis graſſatoribus. Illi vero vbi audierunt properare regem, periculo ſuo proſpicientes, cautiores in reliquũ incedere curabant: nam creato ex ſe duce bellum redintegrabant, ferro flãmisq; vndiq; ſæuientes. Occurrentem Daniæ regem aggreſſi apud Fioniam prælio excipiunt & ſuperant: eundemq; vires reparantẽ in Lutia offendunt, prælium inſtaurant, fugant ſuperantq;, prouinciam ſui iuris faciunt, ex hoc die latius imperantes, Filium regis Iarmericum prælio captum, cum gemina ſorore in partem prædæ abducunt. Sed quoniam apud veteres venalia fuere coniugia, magno pretio alteram ex captiuis Daniæ Regis filiabus, Noruagienſium duci viro primario vendunt, alteram in Germania ſimili ſorte diſtrahunt. Hæc Crantzius

tzius de Visimiro. Addunt alij hunc duas vr- Vrbes à
bes ad littus maris Balthici cõdidisse: alteã Visimiro
Vismariam à suo nomine appellatam, Danti- conditæ.
scum alteram à Danis deuictis, quas etiam
absq; dubio contra Danicos incursus, voluit
esse Regno Poloniæ certa & firma quædam
propugnacula. Et apparet ex vestigijs qui-
busdã historiæ Danicæ, hunc regem diu mul-
tũq; Marte vario cum Danis bella gessisse, &
Rempub. Polonam summa cum laude & emo-
lumento gubernasse. Quod autẽ Poloni bella
cum Danis multa gesserint, nõ tantum Cran-
tzij quem adduxi, monumenta testantur, sed
etiam ipse Germanicus scriptor Peucerus, Peucerus
vt alios omittam, testimonio est, cum inquit: lib. 4. hi-
Sarmatas Henetosq;, perpetua in illo littore storiæ in
maris Venedici, bella gessisse historiæ testan- Hẽrico 6.
tur, & monumenta quæ supersunt. Reualiam
enim incolæ adhuc hodie Danopil sua lingua
vocant. Et Gedanum, cui eruditorum conie-
ctura Codani appellatio vicina est, arcẽ Da-
nis oppositam, Henetorum lingua significat.

Est igitur vero consentaneum, hanc vrbem Dantiscum sua fundamenta à Regibus Poloniæ accepisse, maximumq; propugnaculum in littore maris Balthici, Regno Poloniæ contra maritimos hostes extitisse. Sed si iam Vissimirus ad vitam reuocatus cõtemplaretur vrbis huius hodiernam amplitudinem, splendorem, dignitatem, copijs omnibus circumfluentem, diuino & humano iure munitam, amplissimo magistratu, prudentia rerum clarissimo, & ciuium bonorum ac fortium stupenda abundãtia affluentem vrbem, regni Regumq; Polonorum obseruantissimam, quæ sit non modo firmissimum ac tutissimum præsidium, in littore maris Regno Poloniæ, sed in omni cõtinente ab omnibus hostibus, insuper quod sit thesaurus, ex quo totum Regnum necessitates suas subleuat, vrbs florentissima, vt & reliquæ duæ eiusdem dignitatis & splendoris in Prussia, Torunium & Elbinga: certè Vissimirus magno gaudio perfusus, maximo semper amore vrbem hanc prosequeretur, defenderet

Vrbes maximæ In Prussia Dantiscũ Toruniũ & Elbinga, Regno Poloniæ vtilissimæ.

deret, conseruaret, ampliaretq́, nihilq́ prius & antiquius haberet, atq́ vt hæc vrbs pacata, propter bonum publicum regni floresceret. An vero Visimirus prolem aliquam habuerit, quoúe mortis genere è viuis excesserit, incertum est. Vxorem eius Saxo Historicus commemorat, quam ab Iarmerico captiuo, fraude insigni obtruncatam fuisse dicit, ipsumq́ Visimirum Regem flammis ab eodem Iarmerico furtim regiam eius incendente, absumptum scribit. Sed ipse Crantzius hanc de tali Visimiri & eius vxoris morte narrationem, ineptam & vanam esse iudicat. Nos non tam ipsam mortem, atq́ gesta præclara Visimiri inquirimus, cum plerumq́ viros maximi nominis, sua post præclara facinora, vario genere mortis extinctos fuisse legamus, nec aliter ante actam vitam splendidis trophæis ornatam, quam funestis euentibus, fortuna sic cadente, traducere consueuisse, cuiuis exploratum esse, non ignoremus.

DE DVODECIM PALATINIS POLONIÆ DVCIBVS.

EXtincta stirpe Lechi, Poloni Gnesnam creandi noui magistratus causa cõsluunt, & vel ob fastidiũ vel sæuitiam depulsa vnius dominatione, ad optimates gubernacula Reipub. transferunt. Hic videre licet, Polonos Electionem noui magistratus semper liberam habuisse: cuius fontem ac fundamentum fuisse plebeiam illam imperij gubernationem facilè concedi debet, qua primitus propter iuris æquabilitatem, & consilia cõmunia, vt testis est Procopius, vsi sunt. Post aliarũ gentium mores sequuti, ad vnum summam rei referebant. Deinde offensi vel negligẽtia, vel tyrannide vnius, cœtum optimorum virorum deligebant, eo quod ex optimis viris sciebant optima existere consilia. Quibus cum omnibus summã potestatem pacis & belli tempore permittebant, sibi ipsis eligendi & creandi magistratum nouum semper re-

Electio noui regis libera semper apud Polonos.

per relinquebant. Quam consuetudinem & illũ Lycurgum in Repub. Spartana lege firmasse legimus, cũ Regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia, & annuas successiones, senatui custodiam legum, populo sublegandi senatum vel creandi, quos vellet magistratus, potestatem permisit. Maiores itaq; illi gentis Polonæ, hac libera & propria electione noui magistratus freti, viros præstantes ætate & iudicio graues, inter alios integritate morum, & rebus gestis conspicuos, duodecim eligunt, & diuiso in totidem partes imperio, vnicuiq; suam prouinciam regendam demandant. Magistratum huiusmodi credibile est Polonos illos mutuasse, vel ab antiquissimis illis Ægyptijs, Persis, Hebræis & Græcis, qui Regna sua in duodecim tribus distributa, per duodecim præfectos principes gubernabant. Quam quidem gubernationem absq; dubio ex duodecim Planetis, qui suo cælesti regimine xij. anni menses conficiunt, effinxere, vnde etiam xij.

Iustinus li. 3. p. 45.

Electio duodecim Palatinorum.

Electio magistratus, duodecim Palatinorũ vnde.

Deos cõmenti sunt, & ijsdem vestigijs regna sua in xij. partes diuisa, per xij. lectissimos duces administrare sunt soliti. Tabulas quoq; legum xij. Græcos Athenienses legimus habuisse, quas Solon per xij. etiã annos apud varias gentes peregrinando, vt Herodotus testis est, cõquisierat. Quemadmodũ & Moyses instinctu Spiritus S. vniuersam gentẽ Hebræorũ in xij. tribus partitus est. Et duodenarium numerũ maximæ semper religionis apud omnes gentes fuisse cognoscimus, quẽ modũ & Christum mundi seruatorem in sua Repub. Apostolica obseruasse, comperimus. Cultissimam igitur prudẽtia & rerum maximarum experientia præditam gentem illam primariam Polonam fuisse, certo cõstat, quæ & se ipsam regere, imperium suum promouere, Remq; pub. suam aliquando fluctuantem subleuare, aliarum gentium vtilibus ac commodis vestigijs insistẽdo, potuit. Scribunt hos duodecim Palatinos ab initio fuisse strenuos & fideles Reipub. custodes, qui priuatis commodis neglectis,

Herodotus p. 12. lib. 1.

Valerius lib. 5. c. 3. pag. 271.

Gellius l. 2. c. 11. & lib. 20. cap. 1.

Gens Polona antiqua cultissima, in gubernatione Reipub. prudens.

ctis, solam curam imperio promouendo gnauiter impendebant. Iustitiæ cõseruandæ causa leges quasdam promulgarunt, voce solum modo ac consuetudine, non scripto compræhensas, consilia statuto tempore habebant, & in deliberationibus nõ acumine certabãt, sed veritatem verbis simplicibus & paucis candide declarabant: suffragia non tàm numerãtes, atq; ponderantes, pacem & tranquillitatem domesticam inprimis promouebãt, ne perturbatione & cædibus mutuis Poloni vexati, hostibus exteris, occasionem incursionem faciendi, & regnum ipsum inuadendi ac deprædandi, præberent. Ideoq; etiam, si qua ex hoste aliquo oboriebatur difficultas, illorum erant partes, de belli summa deliberare, exercitũ in bellũ educere, & omne negotium aduersus hostem subire ac explere: vnde etiam VVoiwodowie lingua Polonica, hoc est, duces belli vocabantur. Postea vero cum à natura facilis sit morum conuersio, procedente tempore, tali imperio elati, iam non nihil

Duodecim Palatinorũ regimen regni primo feruidũ, post tepidum.

A natura facilis morum conuersio.

nihil de ſtudio Reipub. remittere cœperunt, otia magis & voluptates, atq; labores conſectantes, ſuaq; priuata commoda publicis præferentes. Quisq; principem locum tenere, & in ſententia dicenda vincere voluit, vnde ad ingentia odia inter ſe euadunt, ex odijs factiones trahunt, ex factionibus cædes & bella ciuilia acerba commouent. Ex inde ſibi quisq; viuere, nec vllum reſpectum ad duces hoſce male feriatos habere voluit. Hoſtes quibus antea nomen & arma Polonorum terrori erant, videntes malis hiſce inteſtinis Poloniam diſtrahi, occaſione accepta, eam inuadunt, & damna ingentia ferro & flamma inferunt. Cũ autem nullum finem horum malorum experiuntur Poloni, Palatinis ipſis in propulſandis hiſce minime idoneis exiſtentibus, rurſum magiſtratum hunc abrogare, & Palatinos hoſce publica hac dignitate abdicandos decernunt, de aliquo viro vno præpotenti, qui in integrum Rempub. Polonam reſtituat, cogitantes. Scribunt magiſtratum

Palati-

Palatinorum horum ad L. annos stetisse, cuius simulachra etiamnum in Palatinis hodiernis Polonicis cõspiciuntur, maxima cum Maiestate & splendore Regni, eiusq; commoditate.

CRACVS QVARTVS
REX POLONIÆ.

COnuentu igitur Gnesnæ facto, Poloni Palatinos magistratu abire iubent, & si quidem rem communem dilapsam habebant, consultant grauiter, quo pacto hæc recolligi possit. Conuertunt iterum animos suos ad vnius imperium, & talem dispiciunt virum, qui fundamenta Reipub. concordiam & iustitiam, sanctè sapienterq; conseruaturus sit. Offertur exemplo vnus ex ijsdem xij. Palatinis Cracus nomine, vir omni genere virtutum ornatus, copijs ac opibus affluens, quem ad fastigium huius maiestatis prouehunt. Habuit hic Cracus sedem omnium rerum & fortunarum suarum, ad montem Sar-

Fũdamẽta Reip. cõcordia & iustitia.

Electio Craci in Regem.

maticum,

maticum, in regione versus Pannoniam, xiij. milliaribus à fontibus Vistulæ sitam, qui simul atq; hanc tam duram prouinciam sibi demandari cognouisset, apertè recusare honores cœpit, & se nolle tam grauissimum onus subire, dicebat: & reluctatus multum, ne nimium munus tam necessarium defugere, & operam suam patriæ collabenti denegare videretur, cessit votis & necessitati vrgenti. Electus igitur in regem, omnem curam sarciendæ Reipub. Polonæ aggressus, domestica mala primum tollere orsus est, Polonos odijs, factionibus & cædibus distractos, in pristinam concordiam reducebat. Iudicia & horum præsides, ad quos causæ oppressorum deduci possent, legibus & decretis quibusdam latis, instituit, reliquaq;, quæ Reipub. Polonæ in rem fore putauit, magno cum studio & labore, ea qua pollebat prudentia, prospexit. Qua industria cum vulnera regni tali prouidentia reficeret, ad ea quæ foris facto fuit opus, animum & vires appulit.

Grassa-

Grassabantur ea tempestate Franci in Pannonia, qui subinde etiam ipsam infestabant Poloniam, hos Cracus collecta manu fortiter repressit, profligauit, & à finibus, cæsis quam plurimis, repulit. Hinc alios viciniores, hostes aggressus, cum eis vel armis, vel fœderibus societatem firmauit, ita vt non multo tempore summam pacem ac trãquillitatem regno pararet, vnde vacuus à curis & bellis, nactus quietem aliquam, ciuitatem ad Vistulæ flumen, in loco vbi fortunas suas locauerat, condidit, quam à suo nomine Cracow appellauit: quamuis aliqui à coruis crocitantibus, qui tunc multi eum in locum aduolarant, appellatam esse volunt. Arcem etiam in monte proximo, Wauel, extruxit, quam regiam suam esse voluit, quemadmodum & ciuitatẽ ipsam Regni metropolim, Gnesna veteri vrbe postposita, constituit. Quæ quidẽ vrbs ab exiguis profecta initijs, ita ciuibus optimis, magistratu prudentissimo, opibus amplissimis, hominum maxima frequen-

vrbis Cracouiæ primordia & incremẽta.

tia, copia & affluentia omnium rerum, ædificijs splendißimis, diſciplina & moribus cultißimis, Reipub. adminiſtratione optima, qua ciuium vita beata, opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honeſta continetur, hucuſq; inclaruit, vt nulli vrbium in Europa ſecunda eſſe videatur: vrbs præterea munitionibus eſt firmata & ſepta, quo ſe ab hoſtium quorumuis incurſione defendere tuto poſſit. Cuius maximum experimentum in recenti eſt memoria, cum anno M. D. lxxxvij. electionis ius legitimum Regis Sigiſmundi Tertij iam feliciter regnantis, propugnaret vir magnanimus fortißimusq; Iohannes Zamoyski, Cãcellarius Regni & Generalis Imperator ac Adminiſtrator exercituum Regni Polonici, quo tempore cum militij aduerſæ partis in vrbem impetum facientij propulſaret propelleretq;, resq; præclaras in ipſo conflictu geſſiſſet, memoriam nominis ſui conſecrauit ſempiternam. Non deſunt alia huius vrbis ornamenta maxima, cum in ea ſit ſe-

Eius celebritas,

Defenſio pervirum magnũ Ioannẽ Zamoisky.

des

des Episcopalis, quam hoc tẽpore tenet Fluſtriſsimus princeps de Olica & Nyesuis, Dominus Georgius Radziuil, Cardinalis S. R. Eccleſiæ Tituli S. Sixti, vir magnus & altus Reipub. Regni ſtudioſiſsimus. Accedit dignitas præſtantiſsima, & in ampliſsimo Senatu Regni inter Palatinos ac Caſtellanos, primaria Caſtellania Cracouienſis, qua iam decoratus eſt Fluſtriſsimus vir, autoritate & prudentia pollens Dominus Ioannes, princeps Oſtrouienſis, Palatinides Kijouienſis, vtpote filius Conſtantini Principis Oſtrogienſis, Palatini Kijouienſis, viri rebus præclare geſtis ſplendidiſsimi, copijs & opibus affluentis, & omni laude cumulatiſsimi. Deinde Academia viris eruditione præſtantiſsimis, & ſtudioſorum frequentia celeberrima, de qua Pauli Iouij maioris commendationis ergó, adfero verba, Sarmatarum, inquit, regio Cracouia eſt, quam Viſtula amnis interfluit, ibi Mathematicorum ſtudia maxime florent. Publice enim literarum ſtudioſi bonas artes

Paulus Iouius lib. 13. hiſtoriæ, pa. 229.

Celebritas Academiæ Cracou.

docentur, & imprimis supputare syderum cursus, atq; inde temporum vices, incerta bellorum, & in vtramq; hominum fortunam arcana fatorum aperire consueuerunt. Illo vero tempore, promouente Craco Regnum Poloniæ, noua & cultiora construebantur tecta, & in vastis nemoribus, vt vult Dlugossus nouæ erigebantur coloniæ. Huius Craci tẽpore ferunt Draconem iubatũ immanẽ ac terribilem specie, in antro cauato & horrido, in quo arx ipsa locata erat, latuisse: qui cum non modo iumenta, sed & homines multos, fame premente vorasset, nec vlla vi pelli necariq; posset, arte vsus Cracus, vituli pellem, pice, sulfure, & fomite incenso fartam, ad ostium antri apponi iubet, quam cum bestia hiatu oris deglutiuisset, & materia magis ac magis incensa, interiora eius adureret, maxime cum cruciatu & rugitu arcem quassante extincta est. Cum autem Cracus summa cum gratitudine & laude domi & foris regnasset, vitæ & imperij multos conficiens annos, egit supremum

Draco immani specie, in Polonia.

Obitus Craci & eius glorifica sepultura.

premum diem, filios duos & filiam tertiam post se relinquens, qui funus amplissimum de mortuo fecerunt, corpusq; uti ipse mandauerat, in monte Lassotino è regione ciuitatis Cracouiensis, aggesto instar montis memoriæ sempiternæ causa, tumulo humarunt.

LECH SECVNDVS
QVINTVS REX.

CVM Cracus & Lechus fratres una cum VENDA sorore, iusta persoluissent paterno funeri, sermone dissemi- Electio Craci filij. nato sparsoq;, Cracum maiorem natu, in regem eligendum: ubi Lechus ambitione flagrans, captare occasiones cœpit, quibus regnum fratri destinatum præriperet, Et cum ipso in viuis manente uoti compos esse nequiuit, in necem eius animum intendit, ut quod iure non potuit, scelere capessat regnum. Si violan dũ est ius, regni gratia est violandum. Paruo elabente tempore, uenatum uterq; exibant, ubi CRACVS prosilientem feram

feram persequebatur, neq; alio respiciebat quam quò ipsa fugerat, equus eius imprudentius ab eo actus, in genua procũbit: quem casum Lechus frater spectans, vesanus & percitus accurrit, & fratrem hærentem iaculo contorto sternit, membra eius in speciem morsus feræ, lacerat & stramento contegit, & actutum deplorans multis cum lachrymis, tam funestum casum fratris scilicet, exponit omnibus: in quo cum fidem obtinuisset, ad imperium assumptus est. Quo cum aliquo tempore functus, primo rumoribus aliquibus fratricidium eius detegi, post propalam ferri ac traduci cœpit. Quod detestantes Poloni cum alia ratione facinus hoc expiari non posset, ipsum Lechum honore Regio exuunt, sedibus pellunt, qui sterilitate etiam à Deo punitus, eneruem ac frigidam vitam egit. Post furiarum, quæ sunt speculatrices & vindices facinorum ac scelerum, agitatus ardentibus tædis, angore conscientiæ & fraudis cruciatu, absumptus est. Et hic primus fuit in regno

Rex impius Polonis iusti amamantib⁹ inuisus.

regno Poloniæ, qui à splendore paterno degenerauit, nequitiæ sordibus imbutus, optimi patris pessimus filius, hic qui ius fraternũ imperij causa fratricidio violauit, dignitatem regiam apud Polonos semper intemeratã, scelere tãto funestauit, primusq; extitit, quẽ Poloni, gens alioqui Regum suorum cupidissima, obseruãtissimaq;, regno & sedibus spoliarunt expulerunt q;.

PRimus rex ob fratricidium à Polonis regno pulsus.

VENDA VIRGO CRACI FILIA, REGINA IN IMP. POL.

MAgna perturbatio & luctus ingens Polonos tenebat, ob duorũ fratrum regia stirpe prognatorũ, tam miserabilem ac repentinum interitũ, vnde etiam nouarũ perturbationum causæ quæri videbantur, cum suspensi ac incerti essent, quem nam dignitati Regiæ præficerẽt, quo restinctis ac sublatis omnibus perturbationibus, optima Repub. fruerẽtur, vidẽtes tamen Vendam Craci sobolẽ relictã esse, virginem & forma & animo virili præstantissimã, insigne regni illi offerunt, supremiq;

Electio virginis Vendæ quæ Polonis imperat.

miq; magistratus nomine eam dignantur: partim vt suũ erga Cracum patrẽ eius, principẽ celebratissimũ, amorẽ testẽtur, cuius memoriã dignitate filiæ renouare ac redintegrare volebant: partim, vt quod filij duo fato infelici obstante non poterant, illa relicta filia, mulier fortis, fortia facta patris in omnẽ posteritatẽ propagaret. Idq; quod & sæpius apud alias gẽtes cõtigisse non ignorabãt, apud quas virgines & fœminæ, maiore quam pro homine & muliere sapientia, Resp. auxerunt, regna ampliarunt, ciuesq; suos in optimo statu cõseruarunt. Qualis fuit Delbora, mulier fortis, imperatrix populi Dei viuẽtis, quẽ ab hostibus omni tẽpore tutata est: cuiusq; Remp. & imperium varijs auxit honoribus. Qualis etiam fuit Nicaula illa siue Cãdaces ex Meroẽ insula Nili Regina, rectrix sui imperij sapientissima. Innumeræq; aliæ fuêre, quæ sexus oblitæ virilem animũ gerebant, viris imperabãt sine virili auxilio. Et hoc nostro, vt exoptatissimo, ita turbulentissimo tempore, testimonio

est,

non absq; viro comite Lajcestrio

est, augustissima & verè diuina virgo Elisabeta Magna, Regina & gubernatrix prudẽtissima ac felicissima, potẽtissimæ florẽtissimæq; gentis Anglicæ, pietate, sanctitate, iustitia, autoritate, grauitate, brachio Dei & sanctorũ Angelorum excubijs, gloria omni, omni in gente celebratissima. Quare eadẽ sibi de Venda polliciti, rerũ dominam Poloni constituunt, eiq; gubernacula Reip. tradunt. Ad quæ, cũ illa consedisset, eaq; tractare in animũ induxisset, sexus oblita, virilem animũ gerere cœpit, patris vitã, mores & res gestas sequuta, gratam & acceptam omnibus se præstitit. Virgo insuper eximia pulchritudine, forma, specie, statura ad hanc dignitatẽ apposititissima, ita vt non immeritò Vendæ nomen, quod latinis hamum sonat, obtineret. Sua enim excellẽti forma, venustate, animiq; sublimitate, omnium in se ora & oculos cõuertebat, vt non mortalem, sed Deam aliquã omnes fuisse, putarent. Vnde cùm tantæ existimationis apud exteros quosq; fama & rumore celebraretur,

Anna Bolenid. Concubina Henrici VIII filia Mater Henrici Anglicani.

Vendæ Reginæ Polo: virtutes & regni maiestas.

Vendæ nomen.

Regulus quidam Rithigerus Saxoniæ sine dubio, ardenti amore eius flagrans, eam per legatos in vxorem expetit, ratus per nuptias se quoq; regno potiturũ. Sed Venda prudenti excelsoq; spiritu, se absq; viro defungi imperio, in eoq; præesse semper, non subesse velle, respõdit, speq; frustratos legatos dimisit. Quæ cum Rithigerus accepisset, ob repulsam indignatus, bello Vendam cũ regno acquirere decreuit. Accurrit igitur tanquã centũ corda haberet, maximo instructissimoq; suorũ popularium cum exercitu Venda, & illi regulo impotẽtes amores exprobrans, ad conflictum eum prouocat, se marte libidines eius cohibiturã inclamans. Quam cum regulus plenam animi, plenam spiritus animaduertisset, monitus à suis ne ob libidines se & suos in discrimen conijciat, animo perculso & abiecto pugnam detrectat, & ob dedecus, vitam sibi acerbam esse putat. Cumq; tam animo fracto carentiq; arbitrio suo esset, mortem sibi ipse consciuit. Quo facto, Venda victoria potita, fidem ami-

Venda regulum quendam nuptias eius appetentem bello reprimit.

dem amicitiæ cum Germanis sanciens, Cracouiam abscessit. Cum autem triumphũ egisset, grata in Deos, quibus acceptam victoriam referebat, his seipsam sacrificij loco consecrat, persuasum habens, se hactenus satis Rempub. sartam & tectam conseruasse, nec quicquam restare aliud, quam vt pro eius sempiterna salute, votũ religionis suæ qua tenebatur exoluat. Atq; ita in refertissimo celebratissimoq; hominum conuentu, spectantibus omnibus, virgo altissimi spiritus, Regina & gubernatrix tãti imperij, nihil morata honores & opes, spretis & abiectis omnibus illecebris mũdi, in profluentem Vistulæ se præcipitem dedit. Facinus hoc stupendum quidem, & Vendæ, seculo illo glorioſissimum fuit, á pessimis tamen spiritibus profectum, qui natura crudeles, humanis victimis litari sibi volunt. Sic Iphigenia voto Agamemnonis patris immolata est. Et Græci nece Polixenæ litabant. Euripides etiam laudat Reginam Atticam quæ volens exhibuit filiam, vt fieret hostia pro salute patriæ.

Vendæ triumph⁹ de Germanis.

Démens sacrficiũ Vendæ.

Concedo ciues, victimam hinc abducite.
Vt salua sit victrixq; nostra Patria.
Nam filiæ vitæ, salutem publicam,
Immota stat sententia, anteponere.

Ita idolatræ illi cursu sempiternæ gloriæ deliniti, nihil veriti sunt, voluntariam oppetere mortem, quod & Vendam apud priscos Polonos, gentilismo regnante, fecisse scribimus: cuius corpus ex aquis extractũ vno ab vrbe Cracouia milliario, proceres Poloni terræ, more paterni sepulchri, in maximã altitudinem aggestæ & euectæ, mandarunt: Mogilamq́, hoc est, sepulchrũ vocarunt, quo nomine in hodiernũ vsq; diem pagus eo loci situs, dicitur.

DE DVODECIM PA: LATINIS, ITERVM POST MORTEM Vendæ in Polonia regnantibus.

Cic. lib. de diuinatione.

OPtime mihi sentire illi videtur, qui cõuersiones Rerũp. naturales esse dicunt, quod & Cicero ex Platonis sententia cõprobat: nul-

bat: nullus enim tam firmus & stabilis Reipub. status existit, qui non vltrocitroq; in gubernatione commutetur, cùm vel principes Rẽpub. teneant, vel populi, aliquando etiam ex plebe summi aliquot delecti viri, quod quidem apud quasuis gentes sæpius accidisse, non ignoramus, Assyrijs præsertim, Persis, Græcis: & apud Romanos illos rerum Dominos, dignitates identidem mutatæ sunt. Idem igitur Reipub. Polonæ accidit, cùm vel á plebe ipsa, vel à Regibus, aliquando à duodecim Principibus viris, quos Palatinos vocant, regeretur. Quam conuersionem Palatinorum præcipuè bis contigisse legimus, semel Lechi stirpe extincta: secundò, post Vendæ felicissimum imperium: quo tempore administratio Regni iterum ad duodecim hosce Duces delata est, ea ratione, quòd à prima horum institutione, semper in duodecim prouincias nationem suam Poloni distributam habebant: quarum semper duodecim viris præfecturam dabant. Vnde cum ob diuersa

Regno cõuersiones naturales.

Palatinorũ imperium, & cur vocabatur.

uersa multorum in ambigendo regno post interitum Vendæ studia, non possent vni decernere imperium, illud eisdem Palatinis dederunt. Cuius quidem negotia aliquanto tẽpore illi non sine maxima Reip. vtilitate obire videbantur, donec creberrimæ hostiles incursiones, domesticæq; seditiones ortæ, supra modum regnũ affligebant, quibus retundendis, vires ducum remissæ sufficere nequibãt. Latrones enim quidã ex Pannonia, & Morauia, irruptiones frequenter faciebant, dãnaq; multa regno inferebant, tẽpore non modico longè & latè in Regno grassantes. Aduersus quos cum negligentius duces agerent, multi subinde de malis regni cõquerentibus, vir quidã plebeius, Przemislaus nomine aurificio victũ quæritans, militiæ tamen studiosus, vsus stratagemate quodam, hostes illos securos & incautos, ad internecionem deleuit, statũq; Regni afflictum ac lacerum restituit. Quem ob tam præclarũ ac salutare beneficium, cõseruatorẽ patriæ vocarunt, regemq; suum futurum declararunt.

Hostes Poloniã infestant.

Ab auri, fabro pro fligantur.

PRZE-

PRZEMISLAVS
VEL LESCO PRIMVS, OCTAVVS POLONIÆ REX.

VIr, hic cui PRZEMISLAVM Poloni dixere nomen, communiter fertur plebeius fuisse aurifex, militaris tamen, vnde videre est à principio apud Polonos licuisse, plebeium quemquam militatum exire, & strenue rem agere, præmiumq; dignum factis referre. Qua verò occasione ad fastigiũ Regni prouectus fuerit, sic accipiendum est. Eius tempore Regnum Poloniæ innumeris malis cum perseditiosos ciues, tum per hostes accerrimos Morauos & Pannonas, fuit distractum. Quibus, cum in maxima rerum amissione, desperationeq;, nullus esset qui obuiam ire vellet, ipse maiora, quam vires eius ferebant, & animo concipere, & manu moliri orsus est, voluntarios milites, qui omnem cogitationem & curam in Rempub. afflictam posuere, coegit instruxitq; quam

Przemislaus: aurifaber quis fuerit.

Qua occasione rex electus.

Eius patriæ desẽsio.

plurimos, quos cum in insidijs collocasset, ipse cum paucis noctu exploratũ hostes adit, quos cum securos & incautos animaduertisset, ad suos redit, victoriam in manu esse nũtians. Ibi ex vna parte è regione castrorũ hostiliũ, galeas quam plurimas, ex corticibus arborũ cõpactas cõsectasq; in arborũ frondibus appẽdit, vt eo modo speciem aliquam instructi exercitus hostibus obijciat, dispositis insuper hisce in locis lectissimis militibus, qui hosti in conspectum prodirent, & clamore terrerent. Ipse ex parte altera cum non contemnẽda sociorum manu, in abditis abstrusisq; locis manet. Oriente itaq; sole, milites ex locis galearum appensarum clamore profuso, Morauos & Pannones perterrefaciunt, qui correptis armis absq; ordine confusi, recta in loca illa feruntur: quæ cum galeis innumeris referta esse conspexissent, rati exercitum latere, subsistunt. Quo momento à tergo Premislaus in castra impetum facit. Illi ex vtraq; parte putantes se maximis exercitibus circumseptos,

Stratagema Przemislai.

ſeptos, maximo timore perculſi, omnes ſe, ſalute deſperata, in fugam conijciunt, quos Premislaus inſequutus, acriter cædit & profligat, ita vt vix vnus incolumis euaderet. Potitus itaq; hac victoria, caſtra ſocijs diripienda tradit, illisq; ſpolia & prædam omnem diſtribuit, ipſe contentus ſua virtute, qua hoſtes fudit fugauitq;, & regnum in libertatem vendicauit. Milites illi admiratione ducti tam prudentis ac fortis viri, vbiq; eum gloria & prædicatione efferebant, ſuadebantq;, vt ſi regnum ſartum & tectum habere velint, regem eum cõſalutent. Quo propoſito perturbati Palatini, quib. adminiſtratio Regni ex vſu fuit maximo, Premislai famam exiſtimationemq; minuunt, iusq; nobilitatis auitum in eligendo nouo rege iam explicatũ, perturbare impedireq; conantur, vicit tamen tota nobilitatis conſenſio, Premislao in ducem creato, quem parvum Lechum ſuo Sclauonico vocabulo Leſczek nũcuparũt, eo quod veluti primus Lechus, regnum lacerũ ac pro-

Victoria de hoſtib.

Electio in Regem.

stratum sua industria releuarit. Fuit igitur

Gubernatio Regni felix.

hic Princeps omni virtutum genere ornatissimus, cui ad tenendam Rempub. nec prudentia, nec fortitudo, adeoq; nec amor fidesq; ciuium, vnquam defuit. Quoad vixit, terrori

Vitæ finis.

semper hostibus fuit, & dignitate regia absq; vllis impedimentis perfunctus, diem suum, nulla prole relicta, obijt.

LESCVS SECVNDVS
REX NONVS.

Electio Regis Polonis libera, sed difficilis fuit.

POst obitum huius Leszek, noui turbidi motus in Polonia concitantur, ex electione potissimum noui principis, quam difficilem & lubricam in magnoq; labore positam experiebantur. Multi enim, vel plebeia communiq; potestate Remp. regi, suadebant, alij iterum Palatinorum administrationem restitui auebant, & alij, qui vnius dominatum cæteris omnibus anteferebant, ambitione immoderata laborabant, nullo modo

ad vnum

ad vnum aliquem spectatæ moderationis virum, vota sua concordi voce conferre volentes: qua animorũ varietate honorũq; sollicita contentione, rem periculosissimam in regnum inducebant, seditionẽ atq; discordiam. Quod malum cum in regno serperet, manaretq; latius, ne ad extremum ipsam Rempub. pessundaret, viri quidem moderationis ingenij, solius R. P. amore sortibus tanquam diuino quodam nutu, electionem Principis peragi persuadent. Quod consilium tanquam oraculum quoddam cælitus prolatum amplectuntur omnes, sortesq; cursum equorum maculis conspersorum deligunt: vt qui primus ad metã præfixam peruenerit, regno potiatur. Locum igitur curriculi in campo Cracouiensi, versus Pramnik amnem deligunt, in quo statuam corona & sceptro redimitam, ad quam equis contenderent, locant, diemq; tam magnifico certamini præstituunt. Inuentio certè pleni ac exquisiti consilij hæc fuit, qua imperij potiundi modum appositissimum declarabant.

Res periculosissima in regno seditio & discordia.

Modus electionis, cursus equorum.

bant. Equorum enim opera res maximi momenti, viri nomine ac honore illustres cõficere cõsueuerunt, quemadmodũ & de Dario legimus, qui equi beneficio regnũ obtinebat Persicum. Et Corn: Tacitus Germanos in diuinationibus equis vsos fuisse scribit, hæc inverba: Propriũ gentis equorũ quoq; præsagia ac monitus experiri, publice aluntur ijsdem nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortalium opere cõtacti, quos pressos sacro curru sacerdos, ac rex vel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusq; ac fremitus obseruant, nec vlli auspicio maior fides, non solum apud plebem sed apud proceres, apud sacerdotes. Quod autem nõ promiscuos, sed punctatos ac variegatos equos huic curriculo destinarant, causam subesse puto, splendorem ac amplitudinem regni, ad quod assequendum equis tam selectis, ac equitibus splendidis, opus fuit maximè, vel certè ob religionis reuerẽtiam, qua solem in certamine effulgentem, equis ei sacratis tam selectis ac splendidis, propter regni cur-

Herodot. l. 3. p. 223

Cornel. Tacit. de moribus Germanorũ. p. 204.

gni cursum felicem ac faustum, honorarent. Antequam igitur dies dicta certamini aduenisset, quidam cupidus Regni, fortunæ diffidens, dolo & fraude certamen conficere statuit. Viam curriculi determinatam ferreis clauis, primo quoq; tempore, nocte concubia, hinc & inde confixit, herbaq; congesta contexit atq; abdidit, vno tamen spatio integro relicto, quo cæteris in stadio retardatis, ipse pernici cursu statuam primus contingat. Et ne ipse inter currendum actum equum læderet, soleas ferreas solidas in eius vngulas induxit. Quod tamen nec latere diu nec illi ex animi sententia cedere potuit. Duo enim iuuenes homines infimi, post præsentẽ machinam, die sequẽte in illud curriculum descendunt. In quo cum animi relaxandi causa stadium currerent, pedibus cõfixis & læsis fraudem præsenserunt, quam tamen ad ipsum publicum certamen cælarunt, vt autore insidiarum aperto, ipsi fortunam aliquam experiri stadio iam sibi cognito, possent. Atq; igitur

Dolo ne an virtute Regnum quærẽdũ.

igitur cum præstituta certamini die omnes candidati, spectantibus quam plurimis, in harenam equis splendidis descendissent, alter præfatus iuuenis altos spiritus cõcipiens, pedes ad statuam quoq;, omnibus tanquam vanissimum conatum eius deridentibus, contendere decreuit. Cumq; citatis equis cursu niterentur, omnes læsis equis vel subsistere, vel excussi humi hærere sunt coacti, ipso fraudis artifice illæso ad statuam cum gaudio aduolante, quem mox iuuenis ille subsequutus est. Qui, cum eques ille coronam sceptrũq; præhenderet, regisq; nomine compellaretur, alijq; de equis læsis grauiter quererentur, fraudem omnem noui regis in apertum produxit, clauos ex terra euellens commonstrat, monet vt artificium videant. Rem enim nefandam esse, vt, quod sortibus diuinis propositum regnum fuerit, fraudibus & maximo suorum æqualium detrimẽto, à quoquã parari debeat. Adolescentem hunc quem antea ludibrio habebant, benigne & attente audiebant omnes.

Perqui-

Perquirunt de clauis accuratius, his omne curriculum oppletum inueniunt. Rex adducitur nouus, quod equum illæsum habuerit, ex vngulis calcibus ferreis munitis, deprehendunt, tramitem quoq; quo ipse currebat, vacuum clauis cognoscunt. Atq; omnibus argumentis fraudis ab eo patratæ probè conquisitis, violator sacrosanctarum sortium iudicatus est, quem equis discerptum membratim dissecuerunt: ne vero aliquid de diuino nutu attenuare minuereq; videantur, iuuenem illum qui pedes secundus ad statuam Regiam peruenit, regem creant, splendoreq; Regio in vrbem vehunt, Lescumq; nomine regio compellant, ad eius genus infimum, nullam offensionem atq; fastidium habentes, voluentes illud maximè quod vulgò dici consueuit.

Polonino fastidiebant plebeium in Rege eligere, nõ genus nõ opes, sed virtutes spectãtes.

Malo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas:
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Neq; enim hæc Electio erat Polonis dedecori, cum etiam antiquitus apud multas

gentes ex gregarijs hominibus propter virtutes spectatas, duces ac Reges deligebãtur. Nonné Saul ex pastore armẽtario, Dauid ex opilione, Romulus & Remus ex pastoribus Reges creati sunt? sic apud veteres Polonos Regem habebãt eum, qui virtutis, sapientiæ, & dexteritatis testimoniũ habebat. Fuit hic Lescus princeps optimus, omnium de se expectationẽ summa cum admiratione superans: qui ita se gessit, ac si in ipsa Regia satus & altus esse videretur. Rẽp. tuebatur hisce rebus quæ illi inerãt, rei militaris scientia, virtute, autoritate & fælicitate, ac imprimis, vt memoriæ proditũ est, eum nullis alijs magis oblectatum fuisse, atq; militaribus studijs. Non insectabatur muscas stylo ferreo, vt Domitianus fecisse perhibetur, in suo cubiculo: nec vt Sardanapalus inter mulierum choros lanificia faciebat: vel quemadmodum de Æropo rege Macedonum narratur, lucernas & abacos fabricabatur, nec etiam cochlearia lignea affabre cælabat, quod de Othomanno Macho-

Cicer. pro lege Manilia, pag. 9. volu. 2.

Sabellic' exẽplorũ l. 2. p. 41.

Exemplũ vita in rege Ethnico, Regis Christiãi.

Machometo fertur, sed illa amplexus est, quæ vires corporis augerent, atq; ad artem militarem plurimum facerent. Ideoq; contra hostes quosuis, omni momento expeditissimus paratissimusq; fuit. Quos simulatque regnum inuadere præsentiret, absq; mora ad fines regni cum expedita manu aduolauit, cuius præsentia territi hostes, non ausi sunt ad infestandum progredi longius: vel si aliquando in aciem copias produci, & cum hoste prælio congredi oportuit, ita exercitum instruebat, & ipse cum hoste manus conserebat, vt ex acie semper ouans discederet. Quemadmodum argumento sunt Pannones & Moraui, quos sæpius bello profligarat. Hic primus ludos militares in Polonia aperuit, certamina quædam denuncians, ac præmia proponens, quo non solùm occasiones ac illecebras otij in regno præcideret, sed potissimum, vt exercitatis Polonis, cum vsus posceret, paratis ad singula in bello necessaria negotia, vti posset. Et cum ani-

Ludi militares.

 maduer-

maduerteret gentem Polonam diffluere luxuria & ebrietate, alijsq; multis corruptelis morum infectam & coinquinatam fuisse, ipse huiusmodi vitæ suæ habuit modum optimum, ad cuius exemplum totum regnum componi ingenti desiderio auebat. Ideoq; sobrietati imprimis operam dabat, quod hanc experiebatur esse matrem omnium virtutum, sine qua nec in priuatis, nec in publicis, quicquã consultũ facto præstari possit. E contrario, ebrietatem omnium vitiorum fomitem, animi & corporis pestem ac peruersionem, omni conatu deuitabat, quam vt omnibus exosam redderet, belluam immanem vocabat. Vidit enim optimus hic Lescus lumine rationis, plures ebrietate perire, quã gladio: vidit ebrietate insanas libidines, stupra, adulteria, rixas, cædes, tanquam furia quadam effrenata & indomita agi. Quæ cum de hoc principe Ethnico maiorum nostrorum expẽdimus, reputent moderni magnates & nobiles Poloni, quo loco numerandi sint, qui propter suam temulen-

Regis ad exẽplũbonum totũ componi debet regnum.

temulentiam rariſſimè vel orientem vel occidentem ſolem videre ſolent. Veſtitu & cultu corporis vtebatur etiam hic Leſcus, non exquiſito, nec ſuperfluo, ſed tantum frugali ac parabili: Iidq, quo ſaltem ipſe fugeret inhumanam & agreſtem, vt ille inquit, feritatem, & populum ad ſimilem frugalitatem inuitaret. Hoc enim perſpectum habebat, aulicos, nobiles, ciues, & reliquum vulgus, principes ſuos nimio & affectato veſtitu indulgentes, certatim æmulari, quo fit, vt maximis ſumptibus in comparatione veſtium factis, facultatibus, & ditionibus exhauriantur. Sic legimus Ageſilaum illum potentiſſimum Lacedæmoniorum ducem, quatuor temporibus vna tantum veſte vti ſolitum, in ore illud ſemper voluentem, Principem non mollicie & delicijs præſtare priuatis, ſed virtute debere, vnde interroganti cuidam, cur aſpera hyeme, ſolo amictus pallio absq, tunica obambularet, vt inquit, iuuenes hanc vitæ rationem imitentur. Sic Auguſtum illum

Plutarch. in apophtegmatis Lacõicis, pag. 225.

lum summum Monarcham non alia, quàm domestica à sorore vel filia veste confecta, vsum fuisse scribit Suetonius. Et Plutarchus, Catonem Vticensem narrat, eo tempore cum Romæ passim purpureæ vestes gestarentur, in contemptum harum fusca veste & nudis pedibus frequenter incessisse. Quod & de Agathocle Siciliæ rege à Plutarcho proditũ habemus, qui cũ esset filius figuli, potitus Sicilia & rex appellatus, solitus erat pocula iungere aureis figulina, atq; iuuenibus glorãs dicere, se qui ante hæc finxisset, nunc illa ob vigilantiam ac strenuitatẽ facere: de quo etiam Ausonius ita cecinit.

Suetoni. in Augusto, p. 34.

Plutarch. in apophthegmatis Regum, pag. 109.

Fama est fictilibus cænasse Agathoclea Regem,
Atq; abacum Samio sæpè oneraſſe luto.
Quærenti causam respondit, Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicumq; repentẽ
Diues ab exili progrediere loco.

Gratissima memoria Regis Stephani.

Sed quid tam extera & peregrina peto? domesticum euidens ac præstans exemplum habuimus in illo nostro summi consilij & maximi animi

animi, cuius prudentia optimè stabat Respub. Polona, Rege STEPHANO demortuo, quem ab eo tempore, quo in regnum Poloniæ ingressus diadema Regni sortiebatur, vestitu honesto ac non operoso vti vidimus, nimirum legem ac modum ponens Polonis, quos in parando aduentitio cultu ac vestitu dementia cepit maxima. Ad eundem itaq; modum noster ille Lescus nunquam affectato ornatu se venditabat, sed patrio & simplici vtebatur, præterquam cum illi vel legati ab exteris regibus excipiendi erant, vel aliqua publica in publico conuentu munia obeunda essent, tunc splendidiori quodam ornatu præsidebat, vt eo decorum imperij exhiberet, non fastum vel molliciem ostentaret: semper tamen illam attritam & squalentem apponebat vestem, & in conspectum protendebat, in qua rex designatus incedebat, quo in omni vita pristinæ cõditionis & tenuitatis suæ admoneretur, & omni tẽpore fluxam ac instabilem fortunæ commutationem, obuersan-

Suma moderatio morũ Lescici curiosoris in Regno.

uersantem oculis suis, contemplaretur. Præterea in omnes liberalitatem summã exercuit, iudicio recto & honesta beneuolentia, & præcipuè in hospites, quos nunquam remuneratos dimittebat, vt incertis diuitijs, amicos certos sibi compararet. Nihil enim præter omnes virtutes magis allicit, quam ipsa munificẽtia. Ciues quoq; suos, quorum angustia, ne emergerent obstabat domi, suis promouebat sumptibus, vt vel in aula sua, vel in Reipub. aliquo munere, vsui esse possent, illud vnicum exemplo suo statuens, quò omnibus ex æquo virtutem colentibus, ad Reipub. nobiliora munera capessenda, via pateret, maximè vero priuatorum, miserorum & pauperum, ipse priuatæ conditionis suæ memor, miserebatur, deditq; operam ne à potentioribus opprimerentur. Quibus tam præclaris moribus, & in Rẽpub. immortalibus meritis editis, vtilis ac salutaris imperio, quo aduixit, extitit. Filium quem in principatu genuit, vnicum memoriæ & nobilitatis suæ inceptæ,

Vitæ finis.

ceptæ, propaginem felicem habuit, à suo nomine Lescum dictum, quo relicto, labore vigilijs & ætate regni confectus, clausit vitæ suæ diem postremum.

LESCVS TERTIVS
DECIMVS POLONIÆ REX.

FELIX & faustum huic viro Lescónis nomen erat, quo à patre huius nominis rege, in natalibus appellatus, & patris virtutum, & regni simul facultatem sortiebatur. Viuente enim adhuc patre rege omniũ quos ante Poloni habebant præclarissimo, semper se dignum ac fructuosum Reip. præstitit in omnibus, quæ modò regno ex vsu essent, fidem ac operam suam promptam expositamq; præbebat, curam ac cogitationem dignissimam paternæ virtutis suscipiens, seq; tanto patre satum ad successionem regij honoris accommodatum exhibens, vnde è viuis excedente patre, successionem regni tanquam

Nomẽ Lesci & gubernatio regni felix.

paternarum virtutum meritorumq; hæredi addicunt Poloni, non absimilem spem in eius imperio & studijs erga se, Remq; publicam repositam habentes, quam in patre eius semper optimam & salutarem experiebantur. Quod quidem eos fefellit minimè: Quam primum enim clauum imperij apprehenderet, patris vestigia sequutus, omnem omnium de se expectationem expleuit, vicitq;. Gessit res maximi momenti, regnum aliquoties ciuilibus malis multis vexatum, sua industria & consilio salubri collegit atque recreauit. Cum finitimis, quibus cũ & reges alij superiori memoria, & ipse Lescus superior negotium habuere maximum, bella gessit confecitq; tam prosperè, vt victor existens, his finem imposuerit, tranquillæ suorum libertati impense prospiciens, Et firmata pace omnibus hostibus, quibus antè ob generis tenuitatem despectui erat, gratissimus & acceptissimus fuit, ita vt eius auxilium aliquoties contra hostes suos implorauerint. Me-

Lesci a pud exteros celebritas.

moriæ

moriæ traditum est huius Lesci tempore Pannones & Sclauos varijs & periculosissimis bellis, partim ab orientis, partim ab occidentis imperatoribus fuisse implicatos. Qui virtutem Lesci in bellicis rebus experti, maximis precibus & amplissimis largitionibus, eius auxiliares copias deposcebant. Quibus ille ob vicinitatem & amicitiam, qua iam abolitis omnibus superioribus offensionibus satis firma & fideli fruebatur, non grauatim socia arma iungebat, & eis in administratione belli contra hostes multoties dexterimè depugnans, maximo adiumento fuit. Prolem, qua stirpem suam regiam firmas radices agentem, in multa propagauit tempora, numerosissimam habuit, quam & ex vxore legitima, & ex pellicibus progenuerat. Ex vxore quidem vnicum filium Popielum, ex pellicibus vero, viginti alios filios. Et POPIELVM thori legitimum gnatum, moribus & institutis optimis, in

Proles numerosissima Lesci.

mis, in manibus prudentissimorum atq; fortissimorum virorum educandum informandumq; credidit, idq; quem Regni futurum successorem post mortem suam destinarat. Reliquis probè educatis prouincias & ditiones quasdam in oris maritimis, quæ Polonico suberant imperio attribuens. Nomina autem filiorum hæc sunt.

Ex vxore [Popielus, regni successor.]

	1. Boleslaus		Boleslao	
	2. Casimirus		Barnimo	Pomerania.
	3. Vladislaus		Bogdalo	
	4. Vratislaus		Casimiro	Cassubia.
	5. Oddo		vladislao	
	6. Baruimus			
	7. Przibislaus		Iaxæ	Serbia
Expellicibus	8. Przemislaus	ex his cessit	Semiano	
	9. Iaxa		vratislao	Rugia quæ post Misnia dicta est, appellatione Polonica, à mure, quæ Polonis, Myss dicitur.
	10. Semionus			
	11. Semouitus			
	12. Semõislaus			
	13. Bogdalus		przibislao	Ditiuonia quæ nunc Lusatiæ nomen obtinet.
	14. Spicigutus		czesimiro	
	15. Spirmerus		Oddæ	

16. Spi

Expellicibus	16. Spigneus	ex his cessit.	Przemislao
	17. Sobeslaus		Ziemouito
	18. Vissimirus		Ziemomoislao
	19. Czessimirus		
	20. Vislaus.		

Zgorzelecensis, quæ iam Marchia Brandenburgensis est.

RElíquis vero in hisce prouincijs ditiones quasdam partitus est, in quibus post arces aliquas & ciuitates condidere, vtpote Miedziboze, quod iam Meydburg dicitur, Vislaus condidit.

Daliei, quod Dalemburg vocatur, Sobeslaus.

Vismark Visimirus restaurauit refecitq;, olim à Visimiro nepote Lechi fundatam.

Quemadmodũ & reliquas vrbes, quæ Sclauonicis nominibus nuncupantur, nimirum Brema in finibus Westphaliæ, quæ Polonis onus sonat, eo quod contra hostes præsidium fuit maximo cum onere & labore extructum.

Luna castrum Luneburg Germanis dictum, eo quod in loco præcelso atq; ædito sitũ, fuerit aspectabile & in prospectu omnibus.

Lubeck quod Sclaui qui circum isthæc

ca commorantur, Bukowiecz auito & genuino vocabulo cognominant, quamuis & ipsum quo Germani vtuntur Lubeck Sclauonicum esse videtur.

Sic alia castra quæ extant multa, Rathibors, Swerin, Lukow à quodam Meclone conditum, vnde Germani Mechelburg vocant.

Gilow à crassitudine terræ, Gyel enim Polonicis dicitur terra viscosa & globosa.

Rostock, quæ à quodam Przibislao, Helmoldus, qui Sclauicam historiam conscripsit, conditam esse dicit à profluentia aquarum dictam.

Zwanow, à vocando quia Polonis vocatus Zwani, wezwani dicitur, Sic & alia.

Ostrow, Marlow, Czessin, Trzebiessow, Vielogost, iam Wolgast dictum, Starigrad, Bielograd, Nouigrad, Szczecin, quod Stetinum iam incolæ vocant, sedes illustrissimorum principum Pomeraniæ. Volin à bobus dictum, quod alio vocabulo appellarunt Iulinum,

Helmold. c. 12 p. 25

linum, vrbs insignis ætate illa, tantis opibus, tantis mercatorum negotijs frequens, vt vix aliã parẽ illi tũ Europa videret, Constãtinopoli excepta, ipso Crantzio tale testimonium de ea præbente. Sed & Dresnam, Lipsiam, Costeinum, & alia Misnensis & Brandenburgensis ditionis castella & oppida, à Polonis condita esse, & ex ipsis nominibus patet, & termini veteres regni Polonici testantur. Certa enim & euidentia, vt Crantzij verbis vtar, sunt documenta, quod ex Polonia in Silesiam, & inde in Marchiam nouam & veterem, per Magdeburgensem & Halberstadensem diœceses, vsq; ad Hercinios montes, & inde ad Visurgim fluuium in occiduum, omnem eam prouinciam fuisse Vandalorum, ipsos Vandalos, Sclauos & Polonos, Crantzium sequuti, intelligentes. Has oras & ditiones omnes, quæ imperio parebant Polonico, Lescus filijs suis distribuit, ea tamen conditione & lege, vt Popielum imperij totius præsidem agnoscerent, eiq; consilio &

Crãtzius in Vandalia lib. 2. pag. 45.

Crant: in Vandalia l. 2. p. 38. cap. 21.

silio & auxilio pacis & belli tempore præsto esse non negligerent. Quod vt firmũ ratumq; semper esset, iuramento omnes deuinxit. Qua quidem diuisione facta, cum Carolus Magni Caroli filius ex concubina natu maior, ea tempestate, cuius fuit annus Saluatoris nostri 805. Saxoniam ingressus, longè & latè Polonicas oras vastaret, ille expeditione facta, maximo & acerrimo prælio cũ hoc Carolo ad Oderam flumen conflixit, eoq; loci cruentam victoriam relinquens hosti, occubuit.

Blondus Decade 1. l. p. 165

Vrsperg. in suo Chro. pag. 179. Reyno li. 2. in suo Chron.

POPIELVS VNDECIMVS POLONIÆ REX.

POPIELVS superstes, Rex ante occasum patris declaratus erat, qui vt tuto imperium regeret tueturq;, cõmunicato consilio cum proceribus, & vicinis suis Boêmis & Sclauis, legatos de pace & fœdere impetrando, cum amplissimis muneribus Aquisgranum ad Carolum, vt testis est Sabelli-

Sabellicus, amandat. Quæ legatio Carolo alijs bellis implicito & exoptata & necessaria fuit, præsertim cũ fuerit expertus, quãto cum discrimine bellum illud cum Sclauis, Polonis, Boëmisq; gesserit: quamobrem lubens pacem ac fœdus cum Polonis firmauit. Sic enim Sabellicus: Reuerso deinde Aquisgranum, Sclauorum, Polonorum & Boëmorum legati cum amplissimis muneribus præsto affuerunt. Horum postulata fuere, vt pax cum Gallis incolumis maneret, id quod Carolus perhumanè dedit. Vt inde inconfesso sit, Cureum in suis annalibus odio fortasse nominis Polonici, futiliter scripsisse, tunc Polonos tributarios Germanico Imperio factos fuisse. Quod quidem & ipse Cureus verbis subsequentibus immemor priorum, refutat & refellit, inquiens. Idem Carolus ad arcendos Polonos à Germania, muniuit Brandenburgum anno 789. collocatis eo colonis ex Alsatia, quos tamen Poloni non multo pòst mortuo Carolo eiecerunt. Nam filij huius Lesci

Sabellicus Enea 8. lib. 9. pag. 689.

Cureus in annalibus Silesiæ, pag. 28.

Cureus multa scripsit futiliter de rebus Polonicis.

quos habuit plures, veteres sedes Longobardorum, Senonum & vicinorum inter se partiti sunt, & excitatis multis munitionibus sese aduersus Germanos defenderunt. Cum illis tamen populis Henetis, Polonis, & Boëmis assidua bella gessisse scribitur. Ludouicus Caroli filius, circa annum Domini 830. Anno Domini 832. Francofurti iste Ludouicus princeps Henetos ad se accersitos pacauit. Fatetur Cureus Polonica arma semper terrori fuisse Germanis, & filios Lesci qui amplas ditiones possidebant, excitatis multis munitionibus, sese aduersus Germanos fortiter defendisse, ita vt Ludouicus non pensiones aliquas & tributa illis imperare, sed accersitis, pacem ab illis quærere, & eos pacare sit coactus. Ita Caspar Peucerus, qui Philippi historiam continuauit & auxit, cùm de Polonis bella assidua gerentibus cum Cæsaribus & Marchionibus, scribit: Gesserunt inquit, hi Marchiones magna bella cum vicinis Polonis & Boëmis, & aliquot ex illis for-

Polonicà arma semper fuisse terrori German.

Caspar Peucerus lib. 4. pa. 565.

lis fortiter præliando occubuerunt. Boleslaus Polonus penetrauit populabundus ad vrbem Misenam vsque, genti ὁμώνυμον, vi expugnata Budissina, post primi Echardi mortem. Nec finis bellorum fuit, antequam Otto tertius Poloniam imperio coniunxit amicitia & fœderibus. Quibus Peucerus iste, coniunctionem POlonorum cum Germanis hanc fuisse, non tributa aliqua sed amicitiam & fœderationem demonstrat. Constatq; ex probatissimis historijs, quas suo loco & tempore DEO dante proferam, & euincam, Polonos nunquam nec Germanis, nec alijs exteris Regibus tributa pendisse, essecq; illos scriptores vanissimos, qui hoc ausi sunt asseuerare. Sed ad Popielum redeo. Hic cum factus esset confœderatus Romano imperio, paterni animi virtutisq; immemor, inertissimum desidiosissimumq; ocium consectatus est, CRACOVIÆ vrbe regia commoratus, cum videret se remotius

Poloni nulli vnquam tributa pendebant.

Vita & studia in regno Popieli.

à fratribus agere, cliuosq; regionis illius voluptati suæ non arridere, Gnesnam cum aula sua demigrauit. Deinde captus planicie quadam in ditione Cuiauiensi ad lacum vastissimum Goplo dictum, arcem eo loci extruxit Krusuiciam nomine, quæ hucusq; remanet. Et cum Regia Popieli, Piastiq; patria fuerit, etiam num radices dignitatis antiquæ illam retinere scimus. Est enim sedes præfecturæ vel capitaneatus regni, cui præest hoc tempore vir illustris ac prudens, magnificus Dominus Adamus Balinski de Chomiąza, Castellanus Bidgostiensis, Senator regni integerrimus. In hac igitur ciuitate, relicta Gnesna Popielus, adhibitis voluptatibus per totam vitam suam degit, indies magis ac magis ab illa perenni ac contestata maiorum suorũ virtute degenerans Fertur imprecatio eius, qua deuouere solitus sit, fuisse: mures vtinam te exedant. Quæ tamen in eius filio fuit efficax, quem ob nefandũ facinus in patruos patratum à muribus deroſum legimus. Obijt

Popieli metropolis Crusuicia.

Eius capitaneatus cui iã præest vir magnanim' Adamus Balinsky Castellan' Bidgostiensis.

Popieli imprecatio fatalis.

ætate immatura morbo ex voluptate contracto, filio sui nominis moribus in escam relicto.

POPIELVS IVNIOR
DVODECIMVS REX.

CVM adhuc Popielus demortuus graui morbo conflictaretur, fratres eius principes Pomeraniæ omnes, veriti, ne absentibus eis morte absumeretur, inuisendũ eum actutùm properant: aduentum tamen ipsorum mors præcessit eius, ex quo vehemẽter solliciti, præcipuo quodam dolore angebantur. Curato tamen funere ad Rempublicã accedunt, eiq; omnem operam suam tribuunt, Popielum relictum Regis filium fratruelem suum admodum adolescentem, licet imperio nondum maturum, facto cum proceribus conuentu, regno destinant: ipsi laborem & administrationem Regni, quoad ætate & iudicio adolescat, subeuntes. Interea Popielus petulanti adolescentia impudicus, procax, Popielus iunior Rex declaratur.

 prafra-

Popielis adolescētia indignissima Regno.

præfractus q̃, ætate progrediebatur. Et cum prouectiorem ætatem attigisset, natura ad libidines & ocia pronus, omnem curam patruorum suorum aspernabatur. Adolescentes nefarios alebat, à quibus ad omnia mala inflammatus, ætatem iuuenilem equitando & compotando consumebat, & cum in dies inebriaretur, mente alienabatur, quam ne quidem sobrius sanam admodum habebat, vtque quicquid liberet facere, etiam sibi liceret, administrationem regni patruorum suorum molestissimè ferebat. Ideoq̃ se amplius regi à quoquã non patiebatur, curam & studium Reipub. ipse præ se ferens, quæ mala huius insolentis ac petulantis regis, patrui principes & senatores reliqui, cum animaduerterent nulla ratione refrenari ac coerceri posse, hoc consilium tanquam vltimum remedium capiunt, vt ei vxorem mulierem fortem & prudentem prouideant, cuius societate & dexteritate mores eius reformari, vitaq̃ emendari citius possit. Verum & hoc

nihil

nihil prorſus iuuit, connubio enim iunctus, non mutauit ſed accumulauit ſcelera, ipſam in his vxorem adiutricem habens. Erat quidem ea mulier præſtanti ac illuſtri familia, vtpote Reguli cuiuſdam Germanici filia, forma, ætate & ingenio nobili, ſed dotibus biſce abuſa, mariti luxuria atq; intemperantia diffluentis, animum peruertit, cum eum in ſui amorem nimium allectum, ab omni cura & ſtudio Reipub. auertit. Et cum ambitione atq; auaritia plurimum æſtuaret, ipſa gubernacula regni ad ſe traxit, quo & theſauros multos congereret, & omnia pro libitu ſuo in regno ageret. Qua muliebri audacia, cum Reſpub. Polona magis ac magis dilabi cœpiſſet, nec ſpes erat regem tam effæminatum, mulieris imperioſæ faſtuoſæq; mancipium factum, ad meliorem frugem rediturum, non modo priuatim, ſed & publicè tam patrui principes, quàm reliqui primates, de vtriusq; moribus, tam enormibus & perditis

ditis conquerebãtur, agitabantq; consilia, quo pacto tantæ rerum in regno iacturæ obuiam ire possent. Quæ cum mulier versuta & malitiosa rumore & auditione accepisset, verita ne maritum ineptissimum, seq; iam multis nominibus exosam omnibus, regno pellerent, hoc consilium inibat, quo primum ipsos patruos principes insidijs peteret, siquidem hos maximè suis conatibus obsistere videret. Hos itaq; coram marito, quem in omnibus emancipatum habebat, de ambitu reos facit, datq; consilium, quo pacto de medio tolli queant, instruit stolidum, morbum mortiferum fingat, & patruis accitis se morte instante suosq; filios commendet, quibus lecto affixus, pocula aliqua, quæ sint vltimæ beneuolentiæ & amoris monimenta quædam, ad exhauriendum propinet, quæ illa recepit se cantharide infecturam. Succesit nefarium hoc facinus, cum principes optimi nihil subesse fraudis rati, pocula oblata in testimonium integritatis & studiorum suorum erga Regem fratruelem su-

lem suum, Reginam & filios eorum exhaurirent omnes. Quo momento cum intuerentur Popielum arctiori somno, quem ipse quidem simulabat, complecti, discedunt, in ipsoq; discessu, veneno peruagante ac inflammante, corruunt & extinguntur omnes, quo facto conscelarata mulier clamore edito prosiluit, Deos hominesq; contestans, eos iustissima vindicta, tam repentè occidisse, vt qui Regi filijsq; eius semper mala commoliebantur. Agit religiose dijs gratias, se regem prolemq; suam quod conseruatos voluerint, perfidosq; patruos, ex quibus non nisi exitium illos maneret, puniuerint. Iubet eos insepultos iacere, qui ob perfidiam, iustamq; iram Deorum, & sepultura essent indigni. Fuit hic casus stupori, & admirationi omnibus, & hi præsertim in dolore & mæstitia erant, quibus horum principum integritas vitæ, & studia castissima erga regem domumq; eius perspecta fuere. Interea Deus vindex scelerum, & integritatis innocentium conseruator, atrocissi-

ma pœnâ dolos & fraudes haſce palam facit. Mures è cadaueribus principum enaſcuntur inſuetæ magnitudinis, qui denſo agmine maximo cum ſtupore & terrore omnium in regiam irrepunt, regem, reginam & illorum liberos inuadunt, mordent & arrodunt acrius, quàm ipſum toxicum viſcera patruorum arrodebat. Res portentoſa viſa omnibus. Rex ſimulato morbo excitus, furens depellit ſerpentes ac graſſantes per corpus mures, hoc & regina fallaciarum magiſtra conatur, omnibus eis & filijs opem ferentibus. Cum verò vi maxima à muribus obſiderentur, ipſa regia pauidi profugiunt in lacum proximum: verum vt in terra, ita in aquis deſæuiunt mures atrocius. In continentem igitur tremebundi deducuntur, ignẽq; circumcirca inflammant, quò in medio collocati tuti eſſe poſſint. Sed nec ignis vindictæ Dei quicquã obſiſtit, cum omnia elementa iræ diuinæ in ſontes ſuum præbeant obſequium, quare deſperata ſalute, eneruati & exãgues,

iterum

iterum arcem petunt, vbi sese quocunq; possunt occulunt, obtegũtq;, quos mures iam liberè grassantes, immani morsu, nullis membris & ossibus relictis, exederunt omnes. Sic Popielus & vxor multa patrantes flagitia impunè, in extremum malum adducuntur, semelq; dependunt superiora flagitia. DEVS certè per minuta animantia punire consueuit conscleratorum immania scelera. Exempla huius quædam extant. Ægyptus pediculis à DEO immissis seuerè fuit afflicta. Quemadmodum ob captam arcam illam sacrosanctam, ingentem copiam murium excitarat Deus, per quas agros & segetes Asotiorum vastauerat. Pherecidem Philosophum ob insolentiam & in DEOS impietatem, scribit Ælianus, à pediculis fuisse consumptum. Assyriorum arma ob blasphemiam in verum Israëlitarum DEVM, mures quoque corroserant. HATTO etiam Moguntinensis Episcopus, cum dominante fame pauperes plurimos, quos dicebat ad instar murium

Exodi 8.

1. Reg. 4.

Ælianus li. 4. & 6. de varia histori.

Herodot. lib. 2.

Iosephus l. 10. c. 2.

Factũ ano Chr. 914. Munster. lib. 3. in Cosmographia.

absumere frumenta, concluſos in horreo exuſſiſſet, à muribus in turri in medio Rheni cõſtructa corroſus eſſe dicitur. Hoc etiam factũ ferunt de Vulderolpho quodam Argentinẽſi Epiſcopo, qui arcano DEI iudicio, à muribus anno ſui Epiſcopatus xvij. poſt conſecratum monaſterium Seltzienſe ad Rhenum ſitum corroſus eſt. Quibus omnibus docetur, magnarum iniuriarum magnas eſſe à DEO vltiones.

Cõradus Lycoſtenes de prodigijs, pa. 364.

PIAST TREDECIMVS
REX POLONIÆ.

Electio regis, difficilis & periculoſa.

QVALIS ſtatus regni poſt tam funeſtum interitum Popieli fuerit, facilè conijcere eſt, fuiſſe acerbiſſimum turbulentiſſimumq́, cum tota Polonia & ex tanto ſcelere in regno, per regem reginamq́, edito, & ex portentoſa illorum pœna, ſupra modum ſtuperet tremeretq́, nec tam inſolitum culpæ & pœnæ exemplum proeius magnitudine & atrocitate demirari ſatis potuerit. Acceſſit difficul-

difficultas eligẽdi noui regis, cui nullo pacto ob diuersa multorum studia, & immoderatam ambitionem, quæ eo tempore, magis quam vnquam alias exarserat, satisfacere potuerant. Interemptorum principum filij gregibus amicorum stipati, iure quodam naturali, regnum sibi vendicabant, in quo cum pertinaciter agerent, multum negocij omnibus facessebant. Alij potentes, quibus in magnitudine animi cupiditas principatus innascitur, illud palàm affectabant, cuius ambitionis cum nullum modum facerent, iurgijs tantum tempus comitiorum terebant, & cum contentionibus assiduis ingraueſcentibus nihil transigi potuit, soluto conuentu discedunt omnes. Quo tempore Poloni infesti partibus, regnum partim hostilibus, partim domesticis ac intestinis malis pressum, ac vix non euersum habebant, nec dabatur ab his aliqua respirandi potestas. Propterea videntes passim ruere & deflagrare omnia, ne extrema illos pati fuerit necesse, iterum concilium conuocant.

Cruſuiciamq; ſolennem in locum cõfluunt, & quidem maiori concurſu quàm antea, vndiq; ſe hominibus effundentibus. Sed non minus maximis difficultatibus inuoluuntur, cum quisq; ſuæ dignitati ſtuderet, cedereq; loco cuiquã nollet. Vrgebãt principes Pomeraniæ ius ſuum, & hac prærogatiua quisq; principatum occupare ſumma ope nitebatur. Quorum tamen parua vel nulla prorſus ratio inter ordines habita eſt, ob genus quo ſati fuere adulterinum: turpè ac indignum iudicantes, hominem malo genere natũ, ingenuis imperare debere. Et cum his nullam ſpem principatus relinquerent, ipſi etiam inter ſe acerbiſſimis odijs & inuidentia decertantes, ſui corporis & ordinis viro nulli imperium deferre vltro & liberè volebant. In quo cum multum temp⁹ traduxiſſent, neceſſarijs ad victum rebus plurimum laborabant, iamq; re infecta abſceſſiſſent, vt ante, niſi diuina quadam prouidentia homo illis fuiſſet monſtratus, cui honorem regium demandarent.

Iserat

Is erat pius & honestus quidam ciuis in ipsa urbe Crusuicza, agro colendo & mellificio victum quæritans, PIAstus dictus nomine, quod modiolum rotæ Polonis sonat. Erat enim corpore pleno, valido & stabili, statura breuiori, unde ob talem formam PIASTI nomen sortitus est. Contigit ut hic cum uxore sua Rzepicha dicta, diem natalem pro more gentili sui filij Ziemouiti agens, conuiuio uicinos suos exciperet: quo tempore ferunt duos hospites habitu peregrino ad eum diuertisse, quos hic PIAstus, qui fuit hospitalissimus & amicissimus hominum, perhumanissimè pro suis copijs acceptos hospitio, tractabat. Frequentissimè etiam alij ex conuentu quam plurimi emptum necessaria ad victum, eum adibant, quibus ille ea quæ potuit, non grauatim suppeditabat, cum alius in tota ciuitate, tanta bonitate & beneuolentia erga hospites affluens, non reperiebatur, à quo humanitatem obtinere,

Cluis ciuitatis Crusuicēsis in regem eligitur.

Piast quis fuit & hoc nomine cur dict⁹.

Vxor & eius nomen.

Piasti hospitalitas.

obtinere, & cibaria nanciſci facilè poſſent, ſed cum iam minui ac extenuari penu ſuum cerneret, hoſpitibus illis quibus vtebatur familiariſſimè, domeſticas ſuas difficultates & anxietates exponit, regni ſimul infelicitatem referens, quod tam diu deſtitutum rege, innumeris ſit attritum malis. Quodq; iam ſecundo proceres & nobiles omnes conuentum agerent, nec tam eſſent felices, vt regem electum habeant, & cum inopia rerum premantur, futurum eſt vt iterum rege non creato dilabantur, vnde maximã perniciem cum calamitate illapſuram in omnes regni incolas, certum ſit. Ad quæ breuibus hoſpites illi Piaſto reſpondent, cum eum bono animo eſſe iubent, futurum vt ille ipſe paucis poſt elapſis diebus populum hunc gubernaturus ſit, omnibusq; adhuc victũ abundantem præbiturus. Quo cum ille tenuitati ſuæ illudi diceret, illi affirmant eo rem certo deuenturam, ad cuius teſtimonium miraculo hoc fidem faciunt, cum illi carnes porcinas & mulſum non

Diuini hoſpites Piaſti.

vaticiniũ horũ Piaſtum Regem Poloniæ futurum.

non defectura esse dicunt, etiam si illa ad fruendum cuiuis affatim largiatur, quod & factum est: accurentibus enim innumeris, Piastus illa absq; omni imminutione promebat dabatq;, ita vt omnes mirarentur vnde illi tanta suppeteret copia, qua tantam multitudinem hominum sustentaret. Et cum didicissent fieri miraculo quodam, virum suspiciunt, diuinam in eo virtutem spectantes, quod dijs curæ sit, signumq; capessunt, eum solio regio dignum, qui iam regis munus exequutus sit, sua beneficentia conuentum talem hominum reficiens. Omnes itaq; alium non exspectandum esse censent, in hunc vota conferunt sua, regemq; declarant, & in regiam ab agro, licet inuitũ ac reluctantem pertrahunt. Credibile est illos duos hospites bonos genios fuisse, quos Deus periclitanti ac ruenti regno in subsidium miserat, vt ipse Polonis afflictis & fluctuantibus regem decerneret, non qui longam generis seriem præferret, vel maiorum imagines ostentaret, sed qui morum probitate,

Dapes Piasti quibus in electione Regis magnates & nobiles sustentabat.

bitate, modestia, vitæ innocentia, beneficentiaq; præcelleret. Cum itaq; talibus omnibus virtutibus virum hunc conspiciendum in principatum Poloni euexissent, animis infestis & exacerbatis principes Pomeraniæ, Popieli senioris nepotes, ex conuentu auolant omnes, eò quòd hominem plebeium agricolam, Poloni digniorẽ tanto fastigio ipsis iudicassent, cuius electionem se nec probare, nec regno amplius subesse velle testabãtur. Ipse verò Piastus prouinciã tam augustissimã maxima cũ religione amplexus, & in alium virũ mutatus, regis optimi industrij ac fæliciſsimi partes obibat, Polonis omnibus eũ magis ac magis, cum summa beneuolentia, fide, obedientia & honore, atq; adeò omnibus offitijs prosequẽtibus. Regiam in quo nomen Polonũ parricidijs Popieli contaminatum videbat, Crusuicia trãstulit Gnesnam, eo etiam nomine potissimùm, vt ex loco viciniori rebelles & desertores Pomeranos, iterũ ad obedientiam reducere esset paratior: quod quidem præstare haud

Piasti Regis Polonię administratio regni felix & vere regia.

re haud potuit, eò quòd ab eius imperio abhorrebãt, à regnoq; animũ semper auersum alienumq; habebãt, vsq; ad tempora Boleslai magni, à quo regno Poloniæ iterum inserti sunt. In alijs tamen omnibus quæ regno vtiles ac salutares erant, fuit faeliciſsimus, ita vt famam nominis sui, non tantùm per totam Poloniam, sed & per finitimas & exteras quasq; regiones longè & latè impleret. Vixit 120. annos, tantum curriculum vitæ conficiens, & dimidium ferme horum annorum regnans. Recedens à vita, filium vnicum Ziemouitũ habuit, per quem maximam seriem generosiſsimæ stirpis ab anno 861. Christi, vsq; ad hæc nostra tempora, quæ anno 1596. inscribuntur, proseminatam reliquit, vtpote Reges omnes vsque ad CAsimirum Magnum, filium Vladislai Lokietek, regis Poloniæ. Ex quibus supersunt adhuc familiæ illustriſsimæ in vicina Sileſia. Inprimis familia inclyta ducis IOACHIMI, principis Lignicensis, Brigensis, Olauiensis, Præpositi Magdeburgensis.

Familiæ Illustriss. de stirpe Piasti Regis, in Silesia.

burgensis. Deinde familia Caroli principis Olesnicensis, in Mustemberg ad Elsen in Silesia, Comes in Glocz, principes clarissimi, omni genere virtutũ laudatissimi, opibus & copijs affluentes, genti Polonæ semper addictissimi. Qui nunc, cùm singulari Dei benedictione veterum Regum Poloniæ seminarium retineant, dignissimi sunt, quos Poloni omnes summis officijs & honoribus prosequãtur. Deinde etiam aliæ reliquiæ apud nos Polonos etiamnum extabant, nimirum magnifici Domini Iohannis Kostka à Stangenbergk, Palatini Sendomirienſis, terrarum Prussiæ Thesaurarij viri præclarissimi & senatoris integerrimi, tẽpore etiam interegni in electione Regis candidati Primarij ab omnibus ordinibus declarati, iam vita functi, vxor honestissima demortua, nata ex Anna Conradi ducis Mazouiæ filia, Stanislai Odrowąsi Palatini Russiæ, vxor. Quæ quidem virgo existens moribus & ætate excellens, Iohanni Comiti de Tarnow, Castellano

Iohannis Kostcze à Stangeb. Palat. Sẽdomirien sis comẽmoratio.

W oini-

Woynicienſi primo nupſerat, quo ſine liberis decedente de vita, illa relicta vidua, illi præſtanti viro Domino Iohanni Koſtcze, Palatino Sendomirienſi, iterum connubio iuncta erat, propagines nobiliſſimas illi proferens, quæ Dei beneficio ſuperſunt in viuis duæ filiæ iunctæ matrimonio, viris genere clariſſimis & illuſtriſſimis: Maior natu Anna, Alexandro, principi Oſtrogienſi, Palatino Volinenſi. Altera Catharina, Adamo Sieniawſki, Palatinidi Ruſſiæ, ob ſtirpem hanc clariſſimam & copulam coniugij præſtantem, dignæ perenni memoriæ.

Piaſti regis Poloniæ progenies hodierna apud Polonos.

ZIEMOVITVS QVARTVS ET DECIMVS REX POLONIÆ.

POSTEAquam Piaſto defuncto, more Regio iuſta magnificè proceres Poloni feciſſent, inſignibus regijs, Ziemouitum eius filium exornarunt. Eius enim viri

Filius Piaſti in regnum patri ſuccedit.

singularis tum virtus & industria in omnibus laboribus periculisq, tum modestia fuerat antea superstite patre in omnibus grauissimis regni negotijs cognita & spectata. Hũc enim Piastus iam ætate & viribus exhaustus, imperio dignũ accõmodatũq, pòst se relinquere cogitãs, regijs laboribus præficiebat semper, cum eum magistrũ equitũ crearet, eiq, maiorum vigiliarũ munera cum in bello tum pacis tẽpore, in Repub. administrãda demandaret, quæ ille vir ad omnes labores natus & assuefactus, magna animi contentione, acri cura & vigilãtia, successu sẽper dexterrimo, suis ceruicibus sustinebat, ita vt tali studio, beneuolentiam & gratitudinem omnium facile alliceret contraheretq. Huic igitur imperium libenter Poloni omnes dederunt, cuius clemẽtiam, liberalitatẽ & animi magnitudinẽ iam erant experti. Qui sane cum habenas regni teneret, nihil vnquam sibi reliqui fecit, quod ad eorum promerendum amorem pertineret. Multa tunc adhuc cum finitimis hostibus certamina

Ziemouitus nõ degẽer â Piasto patre optime regnum Poloniæ administrat.

Ziemouiti gesta.

tamina conficienda illi restabant, qui tempore Popieli ignaui à regno ditiones quasdam auulserant, quos antequã aggredi eum oporteret, domestica regni negotia componebat. Militũ militaria exercitia.
Ac imprimis ne milites otio remollescerent, certamina bellica proposuit, quò tanquam in palestra assuescerẽt omnes arma tractare, eaq; pro salute communi contra hostem capere. Ideoq; militem habens armis agitatum exercitatumq;, facilè hostes profligabat, Pannones præsertim & Prutenos, quos bello victos sub iugum miserat. Pomeranos etiam rebelles aggressus est, quibus cum aliquoties conflixit, & eos tributa pendere coẽgit, quos ad extremum, licet natura locorum paulùm fermè inexpugnabiles, in suam ditionem redegisset, nisi morte immatura esset absumptus. Mors & vitæ finis.
Rebus itaq; præclarè feliciterq; gestis, mortuus est Gnesnæ regia in vrbe, imperij sui anno trigesimo secundo, filio vnico Lescone, huius nominis quarto, relicto.

LESCVS

LESCVS QVARTVS QVINDECIMVS POLONIÆ REX.

Lesco Piasti nepos rex declaratus.

ERAT tum Lesco filius defuncti Zemouiti, adolescens ætate, regno administrando immaturus, quem tamen communi suffragio Poloni imperio destinant, cum propter maiorum eius præclara in Rempub. Polonam studia, quæ semper memoriam apud gentem Polonam immortalem obtinebant. tum quod adolescentis indoles, regias virtutes imperio dignas, nõ obscurè præseferebat, vnde tali stirpe satum dignissimum esse statuebant, cui paternum solium offerendum ac subiciendum iudicarent. Quo facto gubernatores Lesci in regno administrando

Gubernatores, viros iudicio & rerum cognitione grauissimos deligunt, qui pubertatem eius optimis consilijs & disciplinis excolerent, ne pòst Phaëtontis in morem, vt dici solet, gubernacula imperij capessat tractetq́, ipsiq́ hactenus ex sententia consilij sui, nomine regis iuuenis, negotia regni obeant, quoad

Rex

Rex adoleſcentiæ ſuæ metas egreſſus, & viriliter agere & Rempub. tenere queat. Et erant quidem eo tempore multa eademq; grauiſſima in regno negotia, quæ curatorum magnum ſtudium, multamq; operam requirebant, Maximè verò bellum illud, cum Caſſubijs, Sclauis & alijs Ciſmarinis populis, à Semouito patre rege mortuo commotum, quod confirmare & continuare ipſa regni exiſtimatio impellebat. Verum ijdem adminiſtratores illud prorſus à ſe & humeris ſuis reiecerunt, contenti vigilijs & ſtudijs, quæ principi iuueni informando ac excolendo impendêre. Vnde etiam Rex ipſe legitimam ætatem ingreſſus, regnum a patre relictum, integrum à cuſtodibus & moderatoribus ſuis nactus, ea moderatione adminiſtrauit, qua cõſeruatum traditumq; accepit, nec Pomeranis moleſtus fuit, ſorte ſua contentus. Fuit igitur vir probus, prudens, iuſtus & liberalis, paternarum virtutum ſtudioſus, pro Republica non ſecus ac pater animo ſemper excubans ac

vigilans, à militia tamen animum alienum gerens, tranquillæ paci & tutæ quieti magis quàm rei bellicæ, quæ multarũ sit insidiarũ, consulens, venationi plusquam studio alicui operã dabat, tali oblectatione animi et requie curarum plurimum delectatus, Vnde quodam tempore huic regi feras in venatione agenti, casus quidam exitu iucundus & insignis acciderat, de quo paucis verbis referre necesse est. Ex hoc enim origo stemmatis illustrissimæ antiquissimæq; in gente Polona familiæ, Comitum de Tenczin, processit, à viro quodam strenuo, & altos spiritus habente, qui regem hunc Leschum in venatione aberrantem, in molendino cui præerat. & liberaliter & paulò seueriùs, cùm cibum oblatũ capere renueret, excepit hunc in modum. Agitabat Rex excitatam feram magno feruore & virium impetu, ita vt à suis longissimè aberrans inciderit in molam in profũda solitudine sitam. Hunc dominus molæ oblatũ quis sit agnouit, licet ipse Rex alium se, periculum aliquod præ-

Origo stẽmatis comitum de Tenczin.

Lepida narratio de Lesci venatione & in molam ex errore incidente.

præcauens, simularet. Descendit tamen de equo, quem vir ille animo præsenti sumit talemq; hospitem introducit, & cibum ac potum parari iubet. Quo facto strenuè ac solicitè suum officium exequitur, aquam manibus lauandis præbet, cibum apponit, monet vt accumbat, & vt comedat, rogat, sitq; bono animo. Rex veritus ne agnitus in aliquod periculum incidat, alium se esse fingit: propterea q; cum modestia & cunctatione molæ Domino morem gerit. Quod cum ille videt, data opera seueriùs in eum inuehitur, & docet, domino domus esse obediendum, faciendũq; ea quæ sint cuiuis necessaria. Ibi Rex quodammodo castigatus, alacrius obtemperat, & cibũ sine cæremonijs, vt dicitur, sumit. Post rogat vt ei in ciuitatem viam commonstret, se enim de via publica deflexisse, nec scire qua iter aggrediendum esset: quod vir ille libenter se facturum dicit, & quidem eo animo, quòd eum ipse tutò deducere velit. Instruit itaq; suos famulos domesticis armis, & hospitem conscen-

Excepitur à moleq; Dño. viro strenuo.

Monetur dño. dom. obediẽdũ esse.

dere equum iubet, se non solum viam rectam demonstraturum, sed eum deducturum, quo sine vllo periculo & errore ad sua remearet. Rex itaq; cogitabundus famulitio hoc vtitur, sed vir ille alacri & prompto animo eũ præcurrit, omnia officia probi ducis exequens. Qui cum ex sylua illa densissima in campum descendissent, offerunt se regis aulici, qui regem amissum hinc & inde quærebant, quos cũ ductor ille conspexisset, regem compellat: En illi tui sunt famuli, quibus te regem nostrum trado, memineris in posterum cautius venari & feras insequi, ne tibi aberranti aliquid mali eueniat, ex quo postea tali regno detrimentum aliquod ingens confletur. Rex auditis hisce, miratur hominis ingenium & probitatẽ luculentam, accurrẽte suo comitatu, agit quidem homini tam cordato gratias pro beneficio, eum tamen pro die sequẽti ad epulas suas quoque inuitat, ad quas se venturum ille sine omni tergiuersatione pollicetur. Interrea Rex aulicis suis omnem suum in venatione errorem recenset,

Officia circa Regem Lescum.

recẽſet, exponitq; quo pacto ab hoſpite in quẽ inciderat exceptus fuerit, præſertim verba illa, Domino domus obediendum eſſe, quibus caſtigatus ab hoſpite fuit, enarrat: commemorans & laudibus vehens maximis viri huius maximum probum ac fidelem animum, quo ſit in eius mola & in ipſo itinere vſus: cogitandũq; eſſe dicebat, ne tam inſigni probitate vir, neglectus eſſe videatur, in quo beneficia gratitudinis regiæ in illo memoriæ ſempiternæ ergô non extarent. Sed tamen iuxta verba eius, Domino domus obediendum eſſe, curandũ vt viciſſim illi lepidè referatur. Quare ita omnes inſtruit, & præcipuè quibus officium præbendæ ad lauandũ aquæ, reliquaq; ad mẽſam munia incumbebant, vt venienti honorem omnem exquiſitè exhibeant, aquam ad abluendum manus offerant, honoratiorem locum capere iubeant, cibum porrigant, vt ſi forte aliquid horum liberè agere caperéq; recuſarit, eum etiam Rex moneat, Domino domus obediendum eſſe. Hæc itaq; cum eſſent conclu-

sa in animo regis maximo cum viri huius desiderio, venit hic bonus vir comitatus famulo in aulam regis, securim manu gestans. Quem excipiunt omnes decenti honore, ad regemq; deducunt. In cuius conspectum cum ille venisset, decorum omne seruauit, regiq; officium debitum cum magna animi submissione, graui & liberali vultu præstitit. Adferuntur fercula, & aqua lauandis manibus offertur, qua ille liberè à purpuratis vtebatur. Iubetur accumbere mensæ in loco honoratiore, & hoc recusat minimè. Offertur illi cibus, & reliqua ad fruendum splendido honore exhibentur, quæ etiam ille sine recusatione boni consulit, nec quicquã abnuit, recusatq; quod regis voluntate fieri videt. Rex ista omnia diligenter obseruabat, & cum liberaliter ac de industria animaduertit hospitem suum agere, causam facilem non habet, vt ei par pari referat. Interrogat tamen quo animo accipiat regias dapes. Et cum responderet, sibi eas optimè sapere, Rex

Molæ dominus regis conuiua.

Molæ dominus in aula regis aulicus.

pruden-

prudentiã ac induſtriam eius collaudat, quod Domino domus ſit obediens, ſe enim eum videre ea omnia promptè facere, quæ illi ſunt neceſſaria. Ibi hoſpes pro ſuo ingenio quodammodo perculſus, reuocat in memoriã, hæc ſua verba fuiſſe, quibus regem in domo ſua non æquè obedientem perſtrinxerat, quare erat regem, vitio non vertat, ſe enim dixiſſe quæ vera ſunt, propterea etiam ſe ipſum & apud Regiam maieſtatem, cui à ſubditis obediẽtia maximè debetur, neceſſariò omnia quæ iubentur, facere. Verum Rex & hoc reſponſo plurimùm delectatus, omnia ſe in eo cum laude agnoſcere, eiq; pro beneficio preſtito adhuc gratias agere, dicebat. Quodq; viciſſim ſit regio beneficio dignus, in ordinem procerum eum adlegat, cum tota domo poſteritateq; eius omni. Inſigne illi donat, ſecurim lingua noſtra Polonica, Topor, dictã, eò quòd ſeueritatem diſciplinæ in domo eius ab eo ſeruatam probè ipſe conſpexiſſet. Fortunas quoq; ampliſſimas ei contulit, quo

opibus

opibus & copijs instructo, Rex eo in negotijs Reipub: uti posit. Quo quidē beneficio vir tam insignis ornatus à Rege, ita segessit, vt regi semper Regnoq; dignissimus vtilissimusq; fuerit: eiusq; posteritas talia studia & merita in prouehenda Repub. ediderat, quæ omne ad tempus intemeratæ existimationis, apud omnes domi & foris fuêre. Nec aliam à Regni Polonici memoria, vetustiorem gens Polona habet familiā quæ simul cum stirpe Piasti regis antiquissini Polonici, continua interruptáque serie in vtroq; sexu, ad instar segetis vberrimæ fæcundissimæq; huc vsq; accreuisset: splendido nomine, factis splendidis, non solum apud populares suos, sed & apud quosuis exteros propagato, cùm semper inclyta hæc familia proseminauerit tales generosissimos heroas, qui Reipubli. Polonæ cum florenti tū collabenti suam indefessam nauabant operam, magistratu insigni, maximo Reipub. cum fructu & laude gentis suæ abundante fungentes. Credibile est autem illum molæ dominum

Antiquitas familiæ de Tēczin.

dominum Lesconis Regis delicias, honestum & militarem virum fuisse, moribus optimis & rerum cognitione præstanti præditum, qui & domum suam rectè gubernare potuit, habuitq; molã publicæ necessitatis causa. Quarum molarum certè peculiarem semper curam habuisse Deum legimus, ex eo quod eas Moses ex Dei oraculo, noluit vllo pignoris nexu teneri. Qua itaq; re familiari vir ille delectatus est, quemadmodum legimus homines militares, priscis illis temporibus non turpi ocio, nec luxui, sed honesto labori cessante militia, incubuisse, vt de Przemislao aurifabro, qui post in regem fuit electus, legimus. Sic de Lescone cursore, de Piasto item agricola post præclarissimo Polonorum Rege, qui omnes in fastigium regium euecti, stupendis factis inclaruerunt, posteritatisq; numerosissimæ ac illustrissimarum familiarum autores extiterunt. Quod quidem in regno quouis ab hominum memoria factum fuisse videmus. L. Quintius Cincinnatus dictator est Liu. lib. 3. pag. 83.

Eutro. lib. 1 pag. 13. factus Romæ, qui agrum quatuor saltem iugerum possidens, manibus suis colebat. Sed Ælianus lib 11. p. 201. Ælianus in sua historia talia multa profert exempla, profert LIuius, EVtropius, & alij quàm plurimi, qui maximi nominis familias descripsêre. Et hoc est considerationē dignissimū, quòd excellētissimæ familiæ habuerūt tenuia quædā sua primordia, Sic Adam ex terra, ex Adamo verò genus processit humanū. Vt enim ex riuis tenuissimis vastissima & nobilissima promanāt ac exundāt flumina, ita familiæ generosissimæ tenuioribus iactis radicibus, propagines vsq; ad fastigiū excelsissimas producunt. Vt euidens exemplum habemus in hac illustrissima amplissimaq; familia, quæ ita egit radices & propagabatur, donec ad quendam maximi nominis virum, Senatorem Regni præstantissimum, Iohannē de Tenczin, dictum ob singularem modestiam & candorem lingua nostra Owieczka, Palatinum Cracouiensem, idq; temporibus Vladislai Loktici Regis Poloniæ, peruenirent, & mirum

Maximę familię sē p habebāt tēuia sua primordia.

Iohānes de Tēczin ouieczka dictus, & eius posteritas.

& mirum in modum aucta est. Hic enim progenuerat duos filios, Iohannẽ & Andream, Iohannes verò sex filios, à quibus magnum mare præstantissimarum familiarum in hoc regno exundauit, tam masculi quàm fœminei seminis. Vnus ex his sex filijs Nicolaus fuit Dominus de Tenczin, qui suscepit filium Iohannem, Palatinum Sendomirienſem, qui vir fuit altus & excellens, ex quo nata est filia Zophiare & nomine, virgo excellentissimis dotibus decorata, quæ pòst collocata fuit in matrimonium heroi clarissimo præstantissimoq, Domino Staniſlao Comiti de Ostrorog, Castellano Miedzirecenſi, cui duos filios procreauit, Iohannem & Nicolaum, imagines animi paterni, Comites de Ostrorog, qui iam DEI beneficio in viuis sunt, & gloriam ac decus, suis studijs ac meritis, non modò domui suæ antiquissimæ, ac omni laude abundante, sed & Reipub. Regni, promouẽt. Fuit verò hæc heroina post mortem mariti tam dignissimi relicta vidua, prudentia autorita-

Staniſlaus Comes de Ostrorog, Castellanus Miedzirecẽ: eiusq; vxor mulier fortis & vtriusq; posteritas.

te virili, & summa in rebus agendis dexteritate, pietate, sanctitate, grauitate prædita, corona domus suæ splendidissima, de qua hoc verè dici potest & debet semper, quod de Placilla Theodosij vxore Gregorius Nissenus scripsisse legitur. Quod fuerit ornamẽtum imperij, iustitiæ gubernaculum, humanitatis imago, maritalis amoris figura, Zelus fidei, columna veræ Ecclesiæ, pauperum diuitiæ. Certé mulier fortis, cuius nomen viuat à generatione ad generationem, sapientiam eius narrent populi, & laudem eius Ecclesia: mulier enim timens Deum laudabitur. Idq; & eo nomine potissimum, quod transiit de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauiũ, de morte ad vitam, de fide ad notitiã, de peregrinatione ad quietem, de mundi huius exilio ad veram patriam: iuxta Diui Apostoli verba, reportans finem fidei suæ, salutem animæ suæ. Quod vero reliquos illos quinq; filios familiæ tam illustrissimæ concernit, ex illis viri alij maximi nominis,

Gregorij Nisseni in oratione funebri de Placilla, pag. 373.

1. Petri cap. 1.

nominis, et fæminæ aliæ laude dignissimæ pro seminatæ sunt, ex quibus seminarium vberrimum familiarũ maximarũ profluxit. Quod argumento est illa totius POLoniæ contra Kieistutum Lituaniæ & Georgiũ Belzensem duces, tempore Ludouici Regis, expeditio: in qua huius familiæ, quæ securim, lingua nostra Topor, pro insigni habet, septem vexilla prætulisse legimus. Adeo hæc insignis familia creuerat, eratq; viribus potens, tantam multitudinem bellatorum in defensionẽ patriæ suppeditãs. Sed redeamus ad illud vnde diuertimus, nẽpè quod reliquum de hoc rege Lescone proditum habemus, illud est. Cum in multam ætatem vixisset, regno feliciter & pacificè administrante, decessit de vita, filio adulto Zemomislo relicto, anno reformati mundi, vt tradunt, 906.

Cromerus de gestis Polonorũ lib. 13. p. 225

ZIEMOMISLAVS
DECIMVSSEXTVS POLONORVM REX.

Ziemomislaus dignissimus in regno patri successor.

NON absimilis Patri Lesconi Ziemomislaus in successione regni fuit, cùm eiusdem quietis studiosus, cui pater præcipuè indulserat, vitam omni genere virtutum ornatissimam traduxerit. Nec illi in tali sedata ac pacata administratione regni, quicquam ad benè beatéq; viuendum defuisse videbatur, præter quod multo tempore vitæ suæ, connubium suum infæcundum habuit, vnde cupidissimus successoris legitimi thori, vehemẽter hac sterilitate excruciabatur. Et cùm postea imprægnata vxor cæcum ei filiũ esset enixa, iterum magis ac magis in eundem dolorem relapsus, sese suamq; fortunam accusabat, quòd primo sterilitate ipsa vexatus satis superq; afflictus fuerit, iam verò multò grauiùs affligatur, fætum quòd præter spem & naturæ & conditionis, vtilitatisq; cõmunis, acceperit. Auctum insuper malum illi,

Afflictio eius domestica.

Filius cæcus ei nascitur.

vxore

uxore uno hoc fatũ edito sterili permanẽte, in quo nec opes, nec regni splẽdor dolorẽ hunc illi leuare potuit, cũ se tali vitæ oblectamẽto destitutũ esse videret. Nutritur tamen foueturq; infans diligẽtiùs, ob venustatẽ corporis & quandã quæ illi inerat, generosam indolẽ, spem aliquã recuperandi ab eo visũ cõcipientes, in qua quidẽ haud frustrati sunt Mos fuit gentili cõsuetudine Polonis primã annorũ septimanã, qua ætas prima infantiæ absoluebatur, solẽni cõuiuio & ritu peculiari celebrare. Sciebant enim homines illi cuiuslibet vitam septẽ tẽporibus cõtineri, vtpote infantia vsq; ad pueritiam, pueritia vsq; ad adolescentiã, adolescentia vsq; ad iuuentutẽ, iuuẽtute vsq; ad virilitatẽ, virilitate vsq; ad senectutẽ, senectute vsq; ad decrepitam ætatẽ. Quæ tẽpora septẽnio dimetientes vsq; ad ætatem decrepitam, cui reliquum, quodcunq; supererat, temporis tribuebãt, quòd & aliæ gentes apud quas studiũ Philosophiæ auro preciosius erat, religiosè obseruarũt, quod ex his elegijs Solonis videre est.

Polonio rum Mos, primãa ño rum septi manã, so lẽni cõui uio cele brandi.

Infans

Clemẽs Alexandrin⁹ lib. 6. Stomatũ p. 317. ex Solone.

Infans ſeptenos poſtquam compleuerit annos
Producti dentes vallus vt oris erunt.
Poſtquam ſeptẽ alios Deus huic cõceſſerit annos
Fit pubes, ſemenq; huic genitale datur
Verum ſeptẽ alĩs poſtquam annis creuerit ætas,
Denſa ſeges barbæ contegit orta genas
Additus eſt illi cum ſeptenarius alter
Vir tum virtutis fortia ſigna dabit,
Sed monet adueniens vxorem ducere quintus,
Poſteritatis & hunc tum meminiſſe ſuæ,
Solers ingenium, firma & prudentia ſexto eſt,
Stulta nec hoc deinceps facta videre iuuat,
Septimus acceſſit cum ſeptenarius, atq;
Octauus, lingua pollet & ingenio, (illo
Nono aliquid poſſunt, ſed iam minuuntur in
Vires, quîs peragunt fortia facta viri.
Sed decimus cum alios ſeptem perfecerit annos,
Maturam mortem triſtia fata dabunt.

Obſeruatio ſeptenarĩ Poloni ſolẽnis.

Ad eundẽ modum quoq; Poloni priſci, hunc ſeptenarium, ex doctrina & traditione maiorum ſuorum maximi faciebant, ita vt primum ab infantia elapſum, quo ex alteratione neceſſitudineq; quadam corporis, dentes pueris elabi ſolent, conſueuere celebritate ſolenni obire. Eo enim tempore, pueros alterum ſeptẽnium at-

nium attingentes sacramento quodam initiabant, cùm eorum capillos primos ab ipsa natiuitate enatos abradebant, & illis noua nomina imponebant, multis qui præsentia sua tam solennem actum condecorarent, ad epulas inuitantes. Qua igitur consuetudine Rex, cùm filius eius cæcus ex sua excessisset infantia, accitis multis Gnesnam proceribus magnatibusq; Regni, diem abradendi & nuncupandi filij huius instituit, non quidem admodum hilari, quem ex suo consueto dolore gerebat animo. Cùm itaq; adferretur puer ritu huiusmodi lustrandus innouãdusq; in medium frequentissimi conuentus, ecce in ipso momento aperiuntur illi oculi, cœpitq; derepentè cõtueri omnes puer ille. Quod cùm regina animaduertisset, incredibile dictu quam lætitiam conceperit, quoq; gaudio perfusa prosiluerit cum puero, nunciatum eius visum. Vnde altissimo facto silentio, rex & proceres attoniti stupentesq;, omnibus lætitijs completi, clamorem ad sydera tollunt, dijs toto

Mos abradendi comã ab infantia in primo septẽnario Polonis in gentilismo vsitatus.

Puer à natura cęc⁹ in lustratione anno septimo visum recipit miraculosè.

animo tam inauditum oculorum cõtuitum acceptum ferentes. Et quidem rex conspecto filio perspicacissimis oculis lustrante & sibi applaudente, miraculo hoc beatum se iam esse agnoscit. Magnates & reliqui omnes conuiuæ, omneq; reliquum vulgus regi & reginæ congratulabantur. Sacrifici & alij aruspices, quibus abradendi pueri negocium incumbebat, hanc illuminationem pueri felicissime interpretabantur, nempè exoriturum tale aliquod præstantissimum lumen, quo regnante hoc regis filio, gens Polona summum sit consecutura bonum. Quo facto, innouatur puer tam fælix faustusq; illa tonsura capillorum, & nomen ei ex præsenti omine Mieczslaw imponitur, quasi dicas, gladius magnæ famæ, quòd olim ille gladio illustrem laudem Reipub. Polonæ sit paraturus. Ritu hoc peracto, omnes se dant iucunditati, ipso rege summa lætitiæ signa præbente, & in omnes ingentem liberalitatem ac munificentiam exercente, ita vt illum septenarium

Mieczslauui nomi-nis inter-pretatio.

filij

filij eius, omnes sacrosanctum memoriaq; sempiterna dignissimum statuerent. Postea peractis huiusmodi solennibus, puero diligentius custodiendo & educando, rex fidissimos custodes ac moderatores præficit, quem quidem in dies omnes virũ quàm puerum summa cum eius expectatione exoptabant. Tandem cùm esset adultam ætatem consequutus, rex Ziemomislaus relicto eo in regno, Gnesnæ de vita concessit, ibiq; anno incarnati Christi 962. Imperij vero sui 64. ad sepulturã datus est. Atq; hic erat rex postremus gentilis, post cuius mortem Polonorum oculi idolatria cæcati, luce salutaris Euangelij illustrari cæperunt, idq; viuente ac regnante hoc Mieczslawo huius lucis euidentissimo præmonstratore ac prænuncio, de quo antequam scribam de gentilismo Polonorum, pauca quædam necessaria dicenda sunt, præsertim cùm finito Ziemomislao vltimo rege gentili, locus sit idoneus de ipsa religione Ethnica, Polonis tempore illo veteri consueta, aliqua exarandi.

DE RELIGIONE POLONORVM GENTILI, QVÆ ET QVALIS FVERIT.

Religio Polonorũ prior gentilis.

NON est dubium, religionem antiquitùs apud Polonos eandem fuisse, quam & reliquæ gentes idolatricæ profitebantur. Hæ enim colebant DEOS quos scribunt extitisse triginta millia numero: Imò tam numerosissimam multitudinem, quæ immensas illas Xerxis copias excederet, ea nimirum fraude, qua ab vnius veri DEI cognitione cultuq́, eius vero aberrabant, Ægyptij præsertim, quibus sexaginta sex sacrificiorum genera in vsu fuisse, vetustissimi tradunt authores. Græci item, qui Ægyptios in hac vanitate & superstitione imitati sunt. Latini similiter, qui Deos Statores, Tonãtes, Feretrios, Geniales, Præstites, Indigetes, Patrios, Tutelares, & alios habebant. A quibus omnibus gens Polona, priscis illis temporibus, suas etiam idololatrias & superstitiones hau-

Deorum multitudo Xerxis copias excedens.

nes hauserat, à Græcis potissimùm, quibus antè maiores eorum cohabitabant. Idolatræ igitur erãt Poloni, spurcissimo cultui dæmonum dediti, quos etiam varijs sacrificijs demerebantur. Delectum tamen tali in cultu quendam seruabant, vt agnoscerent DEVM quendam vnum, quem fulminis Deum vocabant, cui omnes alios DEOS subijciebant. Quem Deum vnum credibile est Polonos Iouem putasse, cùm teste Giraldo, omnes nationes vniuersitatis rectorem Iouem existimabant: vt enim anima corpus regit, ita Iupiter mundum, quemadmodum Procopius, cùm de superstitione Sclauorum scribit, talia hæc in verba explicat. Sclauis lege cautum est, & à suis maioribus proditum, inter Deos aliquem vnum, qui fulminis sit fabricator, rerum omnium dominum ac solũm esse, vt credant, illiq; boues & hostias cæteras mactent, fortunam verò nec sciunt quidem, nec aliâs vim aliquam in homines habere, fatentur, sed postquam sibi, siue domi morbo correptis,

Poloni Deũ vnũ qui fulminis sit, Deus colebãt.

Giraldus de Dijs Syntag. 2. p. 70.

Procopius Cæsarien. lib. 3. de bello Gothorum pag. 149.

reptis, siue in prælio constitutis, è propinquo mors imminet, iubentur quidem, si incolumes fortè euaserint, Deo confestim pro anima sacrificium facere, vnde quum primùm mortis illud discrimen defugerint, sacrificium ex voto ac promissis absoluunt, & putant fermè hoc pacto salutem sibi per sacrificia redemisse. Syluas præterea & Nymphas, hi colunt, & dæmones alios, hisq; sacrificia peragunt, & inter sacrificandum vaticinantur.

Poloni pro anima in gẽtilismo, & sacrificiũ vouebant & illud faciebant.

Helmoldi presbyter chronicæ Sclauorũ pag. 182.

Helmoldus qui Sclauicam historiam scripsit, eadem etiam de hac idolomania gentis huius Sclauonicæ narrat, inquiens. Est autem Sclauis multiplex idolatriæ modus, non enim omnes in eandem superstitionis consuetudinem consentiunt. Hi enim simulachrorũ imaginarias formas prætendunt de templis, veluti Plunense idolũ, cui nomen Podaga (Pogoda verius) alij syluas, vel lucos inhabitabant, vt est Proue (Prawy verius) Deus Aldenburg, quibus nullæ sunt effigies expressæ. Multos & duobus, & tribus capi-

Imagines Polonor. in gentilismo.

tibus

tibus exſculpunt. Inter multiformia verò Deorum numina, quibus arua, ſyluas, triſtitias atq; voluptates attribuunt, non diffitentur vnum Deum in cælis, cæteris imperitãtem, illum præpotentem cœleſtia tantum curare. Hos verò diſtributis officijs obſequẽtes, de ſanguine eius proceſiſſe, & vnũquemq; eò præſtantiorẽ, quò proximiorẽ illi Deo Deorũ. Quæ quidẽ omnia Albert. Crantzius eandem Idololatriã aſtruẽs, in ſua enumerat Vãdalia, eadẽ omnino verba vſurpãs, quib. & ipſe Helmold. in deſcriptione idololatriæ Sclauonicæ vſus eſt. Ex quibus facile eſt cõijcere, Polonos eandem idolatriã gentiliſmo regnãte, exercuiſſe, & quidem, vt in numero falſorũ Deorum, vnũ quem fulminis Deum, cæli gubernatorem præpotentem, omnibus alijs ſuperiorem vocabant, agnoſcerent. Quem næ credibile eſt ipſum diabolum fuiſſe, qui vnius Dei nomine cultuq; eius, genti huic ſuperſtitioſiſſimæ illudens, imponebat, ea ſibi vendicans, quæ ſint veri DEI, creatoris totius vniuerſi, propria. Et puto eundem DEVM

Albertus Crantzius in Vandalia, lib. 4. pag. 93.

Polonis Ethnicis, vn⁹ Deus quis.

Diaboli fraus in eſ fingenda & vnitatẽ & veritatẽ Deitatis.

fuisse fulminis, quem Helmoldus etiam Proue vocat, hoc est, Prawy, e in i mutato, eò quòd quemadmodum vnitatem, ita veritatem deitatis Diabolus sibi impudenter vendicabat. Et huic Deo nullam imaginem solebant effingere, quòd Diabolus maiestatem hanc quoq; obtineret, quæ perhibet, verum Deum nulla specie & effigie exprimi posse. Habebant tamen simulachra quàm plurima eaq; diuersa, inter quæ trium capitum erant sculpta, quibus etiam Diabolus Trinitatem in gente illa mentiebatur. Quemadmodum & pictores vanissimi etiamnum faciunt, qui Deum trinum triplici vultu pingunt. Nec quicquam erat tam feracius vsitatiusq; in religione Polonorum Ethnica, quàm cultus simulachrorũ, qui vt de talibus loquitur Lactantius, infecti persuasione, ac mentes eorum penitus succum stultitiæ perbiberint, adorabant insensibilia, qui sentiebant, irrationabilia, qui sapiebant, exanima, qui viuebant, terrena, qui orti erant è cælo, stupendam audaciam habendi & colendi

Imagines trium capitũ quibus diabolus apud Polonos Trinitatẽ mentiebatur.

Lactantius lib. 2. de origine erroris, cap. 2.

lẽdi ſimulachra, perſtringens. Sed & alia ſacrificiorũ genera obſeruabãt, quæ ab Helmol do exprimuntur. Inualuit, inquit, per vniuerſam Sclauiam multiplex idolorum cultura, errorq; ſuperſtitionum. Et alijs verbis. His dicati erant Flamines & ſacrificiorum libamenta, multiplex religionis cultus. Porrò ſolennitates dijs dicandas ſacerdos iuxta ſortium nutum denunciat, conueniuntq; viri & mulieres cum paruulis, mactantq; dijs ſuis hoſtias de bobus & ouibus. Plerique etiam de hominibus Chriſtianis, quorum ſanguine Deos ſuos oblectari iactitant. Poſt cæſam hoſtiam ſacerdos de cruore libat, vt ſit efficacior oraculis capeſſendis. Nam ſanguine dæmonia facilius inuitari, multorum opinio eſt, quæ omnia, credibile eſt eos ad imitationem primum Hebræorum factitaſſe, Sabbathum ſuum celebrando, in quo Conuentum frequentem virorum, mulierum, puerorum agebant, quo tempore ſacrificabant, non DEO vero, ſed vt ſeruus Dei dicit Paulus, dæmonijs. Quam

Helmold cap. 53. Polonis variæ ſuperſtitiones.

imitationem omnem in cultu omni gentilium graphicè Augustinus hisce explicat verbis.

August. cont. Fab. Manichę. lib. 22. cap. 17. pag. 398

Veri Sacrificij, sicut religiosa prædicamenta Hebræi celebrauerunt, ita sacrilega imitamenta Pagani. Quoniam quæ immolant gentes, ait Apostolus, Dæmonijs immolant, non

1. Cor. 8.

DEO. Antiqua enim res est, prænunciatiua immolatio sanguinis, futuram passionem mediatoris ab initio generis humani, testificans. Hanc enim primus Abel obtulisse in sa-

Gen 4. c.

cris literis inuenitur. Non igitur mirum est, si prævaricatores Angeli, quorum duo maxima vitia sunt, superbia ac fallacia, per hunc aërem volitantes, quòd vni vero DEO deberi nouerant, hoc sibi à suis cultoribus exegerunt, à quibus Dij putari voluerunt, dante sibi locum vanitate cordis humani: maximè cùm ex desiderio mortuorum constituerentur imagines, vnde simulachrorum vsus exortus est, & maiore adulatione diuini honores deferrentur, tanquam in cœlum receptis, pro quibus se in terris dæmonia colen-

Angelorum malorum duo vitia.

Origo imaginũ.

da sup-

da supponerent, & sibi sacrificari à deceptis & perditis flagitarent. Hæc nimirum Poloni priscis illis temporibus, fascinati à dæmonijs sacra habebant, quibus honores diuinos Dijs hisce suis decernebant. Idolum etiam Podaga, vel vt Crantzius habet, Pogaga, quod veriùs Pogoda lingua nostra diceres, hoc est, DEVM serenitatis, quem alio nomine Zywie, nimirum auram vitalem vocabant, habebant. Quod quidem Idolum ideò religiosissimè colebant, quo omnem perturbationem & inclementiam cæli ab aruis & campis suis auerterent. DEOS insuper alios more aliarum gentium venerabantur, Marem præcipuè tanquam militiæ, cui omnem operam nauabant, præsidem patronumq; : Plutonem item inferni DEVM, cuius templum amplissimum GNESNÆ fuit, NYA vocatum, honore prosequebantur maximo, idq; ob metum infernalium pœnarum, quas post mortem supereſſe credebant, etsi cum morte temporali omnia putabant finiri.

Idolū Pogoda dictum.

Mars Deus militiæ.

Pluto Deus inferni cuius pœnas formidabāt Poloni gentiles.

Venerem

Dea Vén. Dzievvana dicta.

Venerem etiam, quæ ad omnia veniat, augustè venerabantur, quam Dziewanam, hoc est Dziewoije vocabãt, quòd esset Dea & patrona puellarum mulierumq;.

Festa Hilaria.

Hilaria quoq;, lætitiæ celebritas, illis Romano more fuit in vsu, cui DEOS, quos Lelum, Polelum vocabant, tanquam conuiuales patronos præficiebant. Quos in ducendis choreis canentes ac plausum dãtes, Hei Lelum, Polelum vsurpabant, hac lætitia honorem dijs suis promouentes, sibiq; fausta gaudia precantes, & ne quid in his dijs suis indignum agerẽt præcauentes. Quem morem etiamnum passim in CHristianorum pagis & oppidis, verùm dispari religione & virtute, mulieres benè potæ & procaces, facere consueuerunt.

Bachanalia.

Celebrabant præterea ipsa Bachanalia magno sodalitatis concursu, quem Stado vocabant, hoc est cateruam ac colluuiem promiscuam hominum masculorum & mulierum. Qui eo tempore quo nos diem Pentecostes maximum ac festum obire consueuimus, fixis in terram frondibus,

dibus, & in his extremo tempore diei, appensis lucernis, gregatim per forum & plateas cursitabant, obscœna quæq; patrantes. Quæ etiam Christiani malè feriati in multis locis, Ethnicismum exprimentes & reuocantes, audacter proiecta fronte faciunt. Huc adfero alia, quæ in vsu habebant, quibusq; religionem suam testabantur, vtpote natalitia festa, quæ solenni cum conuiuio celebrabant, idq; more aliarum gentium, quæ in vitam hanc venire maximi ducebant, minimè illud reputantes, quòd melior sit dies mortis die natiuitatis, teste sapiente. Fuit etiam illis celebritas, quam Athenienses OEnisteria vocabant, quam pubescentes Ephebi peragebant, antequam comam attonderent, quam etiam dijs consecrabant. Quemadmodum Plutarchus scribit, tempore Thesei eos, qui ex Ephebis excessissent, de comis primitias offerre consueuisse, quod & Mieczslaum in pueritia fecisse, legimus. Habebant & funesta sacra, parentalia dicta, pro recordatione & expia-

Festa natalitia.

Ecclesiastes cap. 7.

OEnisteria festa.

Plutarch. in Theseo pag. 1.

Funesta sacra.

Feralia.

& expiatione suorum mortuorum. Feralia item Romanis illis nota, dies Dijs manibus consecrati, cùm ad tumulos epulas ferrent, ibiq; canas & epulum agitarent. Sed hæc breuibus, de religione priori gentili Polonorum, me exaraſſe ſufficiat, parti primæ huius Chronici finem, vt imponam.

Honor & laus ſit illi, qui dedit velle, dabitq; perficere.

Bibl. Jag.

AD AVTOREM.

Historiam, Lucem, Speculum, vitæq; Magistram
Ac Speculam, veterum Musa polita vocat.
LVCEM, quòd visenda facit, quæ tecta latebant,
Nec sinit offenso nos titubare pede.
At SPECVLVM; quia curua notãs & recta, pudendis
Quid maculis distent non maculosa, docet.
RECTRICEM vitæ; mores quia format & ornat,
Quidq; sequi deceat, quidq; cauere, monet.
Sed SPECVLAM; quoniam per facta Futura reuelãs,
Argos aut etiam Nestoras esse facit.
Ergo, viros merito dignemur oportet honore
Hos, quibus historiam condere cura fuit.
In quorum numero cùm tu GLICZNERE, nitescas,
Ingenio parta laude perennis eris.

AD LĒCTOREM.

Historiam veterum GLICZNERVS texere regum
Aggressus, cunctis vtile mouit opus.
Nam velut in specula mõstrãs, quid prosit & obsit,
Vt bonus & prudens inueniare, docet.
Scilicet exemplis morum documenta valescunt,
Exemplis virtus creuit & aucta fuit.

M. HVLDR. SCHOB.

Bibl. Jag.

Wydziała z Kórnikiem z dań
S. Walezyńskiego. 28. V. 1927